DISPUTATIO MEDICA,

DE

DECUBITU;

Cujus

Partem primam,

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

IN ALMA EBERHARDINA,

SUB PRÆSIDIO

RUDOLPHI JACOBI
CAMERARII,
Facultatis Medicæ Decani,

Amico Commilitonum
Examini ſubjicit

JOH. JACOBUS AMMANN,
Scaphuſâ-Helvetius.

Ad diem Decembr.

Hor. Locoque Sol.

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII.
Anno M D CC.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30769693

I. N. J.

DUplex in libris Medicorum legitur Decubitus, unus Humorum, alter Corporum, & ἀπόσκημμα ſ. ἀπόσκηψις Græcorum vertitur à Latinis Interpretibus decubitus humorum in privatam aliquam corporis partem: Famoſus eſt in hunc ſenſum aphoriſmus 56. S. VI. quo αἱ ἀποσκήψιες morbis melancholicis perhibentur periculoſæ, metu ſcilicet apoplexiæ, ſpaſmi, maniæ &c. Et in libr. Epidem. decubitus in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibere dicitur, aut juxta *Valleſium* clarius, abſceſſus, qui morbos aliquos ſolent tollere ſuperveniendo, eosdem anticipando fieri prohibent. Sumi tamen debet hæc loquendi formula cum grano ſalis: Quamvis enim humores aliquando actum ſimplicis gravitatis exerceant, deſcendendo cuniculos fodiant, quamvis etiam ineptitudinem ſæpiſſimè contrahant ad circulum ſive tranſitum per anguſtias, & reditum ex partibus, quando tamen ſermo eſt de decubitu, qui declarare debeat modum criſeos per apoſtaſin è ſanguine ad partem, aut metaſtaſin à parte per ſanguinem in partem, à nobiliore ad ignobiliorem, ab interioribus ad exteriora, (ſiquidem in bonum ægri res vergat, ſecùs in malum) tunc utique illi parti gravis incubat humor, non tàm quà potens ſeipſum locare, nec ita vi propria ſolus irruens, multò minus pro lubitu quaſi & diſcretione decumbens, ſed deponitur aut pellitur, ſive jam juxta quosdam, qui reſpiciunt ad natu-

ram agentem in nobis, & quidem determinatè, id fiat per modum miſſionis à parte mandante ad recipientem, ſive juxta alios qui culpam transferunt in partes,quarum diverſa receptivitas determinet tàm movens,quam mobile,utrumq; in ſe indifferens, per modum detentionis, fundando cauſam & occaſionem modò in lentore obſtruente, modò in acrimoniâ ſpaſmodicè criſpante tubulos, maximè ſi vel ipſa partis anguſtia, vel debilitas, laxitas & atonia faveat, tam naturalis, quàm ab injuriis externis aut per morbos contracta, unde ſub difficiliùs procedente circulo, accumulatio, diverticula, ſeceſſus, corruptio. Verùm quicquid ſit de ratione nominis, aut quàm bene portionis cujuscunque impuræ & malignæ, prius per totum circumpulſæ, jam in hâc illâve parte quies dicatur decubitus, ſufficiat id modo obiter tetigiſſe, cum ante omnia terminus inſcriptionis noſtræ ab æquivocatione fuerit liberandus, ut per viam remotionis ab iſto ſignificatu minus proprio, ad alterum, de quo in ſequentibus agere inſtituimus, inoffenſo pede liceat progredi. Hic autem corporum noſtrorum decubitus intra pagellarum harum anguſtias cogi non poteſt, hâc igitur vice ſufficiat prodromus, ut complectatur

CAPUT I.

Collectanea Hiſtorica.

COmpetit homini potentia erigendi & erectum regendi ſuum corpus ad motus varios pro nutu voluntatis: Huic oppoſitus decubitus infert impotentiam ſuſtinendi corpus, eamque ex obſervatione quotidiana potiſſimum triplicem. Infantes in hoc brutorum fœtibus deterioris ſunt conditionis, cùm per multos menſes nec ſtare valeant nec incedere, ſed per omne illud tempus jaceant aut debeant geſtari; Adulti tàm laboribus fatigati quietem

quæ-

quærunt, quàm vigiliis exhauſti ad ſomnum ſe componunt, & ad finem utrumque corpus reclinant, recumbunt; Ægroti quàm maximè coguntur decumbere, lectoque ſæpè prorſus affiguntur; Horum proin decubitus duplicem habet reſpectum ad iſtam potentiam, tam in præterito quà amiſſam, quàm in futuro, quà vel ſolius naturæ, vel à Medico adjutæ viribus citiùs aut tardiùs recuperandam.

Dejiciuntur à Sanitate in morbum quidam modo præcipiti, ſubitaneo, vehementi, ſub inſultibus ex. gr. apoplecticis, ſyncopticis &c. quaſi fulmine tacti; Aliis ſenſim & tarde ſubrepit & invaleſcit morbus, repugnat natura, antequam ſuccumbat, languori aliquando medelam quærit, moleſtiæ ægrè cedit; A malignis circumveniuntur multi ſubdolè, ut licet infecti jam fuerint, velint tamen eſſe, & ſæpè aliquamdiu utut ægrè ſint, orthoſtadii, utcunque muniis obeundis ſufficientes, usque dum aperto marte res geratur, ipſique graviter decumbant ſæpèque ſuccumbant. Unde nova per morbos facilis obſervatu differentia, dum modo dejectio totalis omnem libertatem aut potentiam degendi extra lectum, imò & regendi corpus in lecto, adimit, aliàs ſuppetunt intervalla plura aut pauciora, longiora aut breviora, quibus & movere corpus & erigere conceditur. Huc ſpectant phænomena quædam è multis notabilia: Præter pueros qui in lecto, licet opus eſſet, non ſemper teneri poſſunt, præter eos, qui ne pro ægris habeantur ob rationes politicas aut quascunque luctantur quaſi cum morbo, ſicque corpus utut difficulter & moleſtè ſuſtinent, præter alios conſimiles, illi maximè occurrunt temerarii, qui ex. g. febrium intermittentium & medicamentorum pertæſi, paroxyſmos bibendo, equitando &c. ſuperare allaborant: quod utut impunè quibusdam ceſſerit, imò & optatum fortè ſucceſſum obtinuerit, non tamen univerſale eſſe & tutum, nobis vel claro teſtimonio militis quartanarii conſtat, duplicem inde febrem & gravius in eâ delirium experti.

Qui acutis & malignis tenentur febribus, uti proſtrationem virium extraordinariam inter primaria ſymptomata habent, ita tantum ſæpè abeſt, quòd extra lectum degere valeant, ut potiùs vel ad erectum modo caput vertiginem aut deliquium metuant, idque facilè incurrant, dum lectus ſternitur, ipſique tantiſper in ſella ſedent; tùm aut inde communiter pejus ſe habent. Interim virium imbe-

cillitati malignitas ſæpè conjungit inquietudinem bene magnam, cum varia corporis & membrorum jactatione, quæ hîc & aliàs eſſe ſolet cum nauſea, cardialgia, vomitibus &c. Quando ergo contingit ipſos in augmento aut ſtatu veſtes poſcere, ubi ſurgere volunt, pro ægris non haberi, delirio id adſcribetur, etenim plerumque ſatis citò concidunt, niſi furor vires ſuppleat, eosque ulterius abripiat. Alius conditionis eſt nox illa δύσφορος, quæ ab *Hippocrate* dicitur præcedere criſin: Item triſte illud phænomenon ægrorum, quum ſe usque volunt proripere, & aliena usque affectant loca, quaſi fugiunt; aut decumbentes occupantur lectione floccorum.

Infert porrò decubitus, præter ſimplicem impotentiam ſuſtinendi, rationem locandi corpus, quæ communis eſt tam quieti quam ſomno, vigilanti tam delaſſato, quam otioſo, & phænomena ſomni atque decubitûs in tantum commiſcet. Non prætermitti poteſt conſideratio loci, quo decumbit ſanus vel æger, quia conditionem ipſius noſſe medici intereſt. Tranſeat hic Incubatio in fanis Deorum medicinæ causâ olim facta, de qua *Meibomius* ſub *Conringio*, aliâ ratione locus influit in noſtrum corpus, ſub multiplici ad morbos reſpectu. Præivit ſuo exemplo *Hippocrates*, qui in Epid. ejus ſæpe mentionem facit, & ſub finem libr. de dec. orn. non indignum cenſuit annotare, quosdam in altis, alios in ſubterraneis & tenebricoſis locis decumbere: Scilicet ut exempla quædam decerpamus ex hiſtoria quotidiana & applicemus, in tenebris quas amant jacent melancholici, ſed iis ſuam fovent triſtitiam; in iisdem degunt ophthalmici, qui commune mortalium ſolatium pro peſſimo veneno habent, quales hinc pueri diu in obſcuro lippientes evadunt manentque per vitam ſedatiores aut triſtiores; Lucem porrò non ferunt, qui in paroxyſmo cephalææ jacent, nec alba aut ſplendida lintea; Luce magis efferantur furioſi; Exemplum cœcitatis ſub obtutu plenæ lunæ à decumbente contractæ legitur in *Heerio.* Favet quieti decumbentium ſilentium, obſunt turbæ: Sunt ſani, qui ab his quiete privantur, ſunt qui in mola, in vicinia pulſatarum campanarum non excitati bene dormiunt; Sunt ægri, qui à motu itidem, aut inceſſu per conclave ambulantium augmenta dolorum ſentiunt. Suppetunt exempla à fortiore ſono uti male territorum, ita convulſorum, & confirmant peccata, quæ in ſtrepitu

pitu fieri dixit *Com*. Infert locus varios odores eorundem naribus, ſuaves aut graves; notos aut inſolitos, pro quâ diverſitate plus minusve commoventur. Etiam quæ narium ſenſum ſubterfugiunt nocent: Sic noxia audit quarundam arborum umbra; Sic ſanitati adverſus decubitus in locis ubi muri recens ſtructi gypſoque obducti madent, & qui fumo denſo, maligno opplentur, quales non communes modò moleſtias catarrhales, quod perfrequens, ſed & ſuffocationem aut apoplexiam ibi dormientibus intuliſſe paſſim leguntur. Decumbentibus circumfunditur & hauritur aër, proin huc referantur omnia phænomena magno numero hinc inde proſtantia, quæ magnam ejus vim in alterando noſtro corpore declarant, per omnes ita dictas qualitates ipſius primas. Specialiùs notari meretur, quod ab effloreſcentiis per ambitum corporis retropulſis & evaneſcentibus contingit, quando ſub frigore loci æger vel male tectus jacet, vel ſe impatienter jactat, denudat, vel intempeſtivè ſurgit, graves enim ſunt, quæ inde conſequuntur oppreſſiones internæ & fata triſtia: Cui tamen alterum extremum opponitur caloris intra loca iſtiusmodi concluſi penè ſuffocatorii; Quo quidem ex capite hypocauſta germanorúm ſub calidiore cœlo natis ſæpè videntur intolerabilia, in quibus tamen tot noſtratium decumbunt & dormiunt adeò benè, quamvis & alios inde gravari, proin lecto bene tectos & ferè ſepultos frigidiuſculi aëris hauſtum præoptare paſſim audias.

Lectus ipſe, aut quod vice lecti eſt, cui corpus vel incumbit, vel quo tegitur, varium habet reſpectum ad diverſam perſonarum conditionem. Hic ſub dio cubat & madeſcit, ille ſomnum meridianum captat protenſus ſuper durum ſcamnum ferè horizontaliter, iſte vini ſpiritu ebrius fimeto ſepultus, alius vinaceis ſimilive tegmento medico obrutus jacet. Sunt qui querelas movent de doloribus capitis & artuum, quod plumas non ferant, ſed exacerbentur, hinc anſerum plumis, quibus condimur communiter, ſubſtituunt lintea lanâ aut bombace farcta, exteris calidioribus uſitata, vel partem coriis & pellibus animalium obvolvunt. Sunt ex vulgò qui decumbentibus metuunt à plumis aliorum volucrum, imò ad moribundos extendunt eorum noxam, de quo quia mihi non ſatis conſtat, quantum veri ſubſit vel ſuperſtitioſi, plura non addo; Certioris experientiæ & non infrequentis eſt, quod multis noceat

lectus

lectus tanquam medium multiplicis infectionis, ex. gr. peſtilentis, phthiſicæ, ſcabioſæ, venereæ &c. per decubitum in eo vel ab vel cum infecto contrahendæ. Sunt quibus lectus ſatis levis incumbit, qui de ipſius tamen gravitate queruntur jugiter, quod in acutis ſuſpectum; Item qui parti dolenti aut inflammatæ tam exquiſitum ſenſum tribuunt, ut ei lectum incumbere non ferant, imò quibus vel linteola impoſita ferre, grave ſit. Sunt quibus decubitus planè non conceſſus, de quibus ſtatim plura, qui in ſedili vitam tranſigunt miſere; Quibus accenſere liceat quosdam, è ſenibus maximè, quos noctu quieſcere lectus non patitur, ſed quaſi ejicit aut exturbat. Infantibus proprium eſt, motum cum quiete paradoxè jungi, dum in lecto mobili dormiunt, quale quid adultorum quibusdam morbis accommodat *Baglivus*, equidem plerique illorum per morbos geſtari volunt, & ſic ſæpè ſedari. Sed talium circumſtantiarum vix foret numerus, obſignanda igitur erit conditio loci in ordine ad decubitum generali phænomeno, quod fundat conſuetudo; Hæc enim hîc ut alibi inducit facilem tolerantiam eorum, quibus aſſuevimus, ut ab iis minus male vel plane non afficiamur, in quibus tamen alii inaſſueti eos imitari ſi velint, non ſomnum ſed vigilias, non quietem ſed laſſitudinem velut à labore, non ſanitatem ſed morbum reportarent. In dialogo mortuorum Milo Crotoniates Sibaritæ tantam exprobrat mollitiem decubitûs, præ qua per integram noctem non dormierit, cùm inter petala roſæ, quibus conſperſus fuerat lectus, unicum eſſet infeliciter complicatum.

Ratio locandi corpus varios importat ſitus, & enatas hinc decubitûs differentias: Vel enim eſt ſupinus ſuper dorſum, vel pronus in ventrem, vel denique ad latus tam dextrum, quam ſiniſtrum; Et per omnes hos modos vel altus, capite elevato & ſuffulto præ reliquo corpore, vel humilis, capite inferiore, quandoque horizontalis, capite & corpore æqualiter extenſo ſive exporrecto. Jungitur cum hoc trunci decubitu varius item artuum ſitus, quos & dormientes & ægri variè locant; Sunt qui brachia ſuper caput complicant, plerique pectori applicant; Hi ſtragulis exſerunt, denudant, illi totos ſe plumis tegunt, ut meticuloſi pueri, & omnes communiter hyeme. Quidam echinorum vel cochlearum inſtar ſeſe contrahunt; alii obliquè & diagonaliter lectum ſecant;

Ne

Ne plures differentias cum ore patulo vel clauſo, capite operto &c. decumbendi accerſamus. Singulis autem iſtis decubitûs ſpeciebus ordine pertractandis, duo ſumma capita poni poterunt, ut diſtinctè conſiderentur, tàm ut effectus unde veniant, quàm ut cauſæ quid inferant, hoc tamen loco utrumque, nonniſi in quantum per experientiam innoteſcunt; Scilicet in genere modò æger ipſe certum ſitum quærit pro levamine moleſtiarum, quandoque vi ipſius morbi proſternitur certo modo, aliàs hic aut ille decubitus ipſi non conceditur ob cauſas notorias, aut quas ſæpè poſt mortem demum declarat anatome: Porrò per illas decubitus ſpecies ſani quibusdam morbis redduntur obnoxii, ſenſim diſponuntur ad eos; Item cauſarii, valetudinarii, certisque morbis obnoxii eorum paroxyſmos & recurſus excitari & aggravari ſentiunt; Denique varii ægri per morborum differentias moleſtiam hinc, dolores, præſens ſæpè periculum metuunt, incurrunt: Quòd per tres ventres & artus pertractare juvabit.

Atque ut à Supino Decubitu, qui ferè ſoli homini (cum teſtudine marina, quæ ventre quoque ſupino ſuper aquam dormire dicitur) proprius eſt, fiat initium, hic utique arcem corporis variè afficit, & ab eâ affecta vel conceditur, vel requiritur, vel negatur. Ita ſupinos offendit Medicus lethargicos; & apoplecticos, quales à collapſu in lectum fuerunt locati, ſuper dorſum ſtertentes; fixè deliros ſuis ita indulgentes conceptibus; catalepticos in hoc ſitu manentes, quo fortè prehenſi, ut in alio quocunque. Recordor hic hemicraniâ dirè, tantum non ad furorem usque excruciati, qui poſt longam inquietudinem tandem ſupinus utcunque quieſcere ſolebat. Aliàs audit querelas medicus à decubitu ſupino: Sic annotante *Lovvero*, qui capite demiſſo & cum reliquo corpore æquali cubant, præprimis capite jam dum laborantes, noctu inſomnia turbulenta, proximo mane torporem, ſomnolentiam, gravedinem, aurium tinnitum, faciei intumeſcentiam patiuntur, contrà, qui capite altiore decumbunt, quietos, licet breviores ſomnos capiunt, & mane alacriores evigilant. In ſuppl. Act. Lipſ. *Dombergius*, qui nec Medicum ſe nec Philoſophum profitetur, obſervationem è penu propriæ experientiæ depromit, quòd nimirum decubitus in lecto uſitatus, ita ut caput elevatum ſit, ſanitati noceat

maximè, in ſpecie ſubjectarum partium invaletudines adaugeat, vel de novo efformet: Contrarium verò evenire, ſi caput cervicali recumbat vel demiſſiore vel tamen æquali cum pectore ſitu. Obſervaſſe me exiſtimo ſupinè & in latus ſiniſtrum decumbentibus communes eſſe dum manè evigilant varios peregrinos in ore ſapores, eòque magis, ſi os inter dormiendum habuerint patulum, non æquè ſub decubitu dextro obſervandos. *Williſius* perhibet adoleſcentem phthiſicum à ſupino ſitu convulſiones paſſum, cujus intra ventriculos cerebri copiam ſeri flavi & ſalſi anatome detexit. In E. N. C. Dec. 2. A. 9. Obſ. 227. deſcribit *Wurfbainius* bimuli caput, quod in ſtupendam molem excreverat, à reclinato paululum ſaltim corpore convulſivâ violentiâ verſus tergum retrahi ſolitum, ſcapulisque incumbens, ad analogiam opiſthotoni, donec aliorum manibus erigeretur, viſumque addit in cadavere hydrocephalum internum.

Non frequens eſt ſupinus decubitus pectore laborantibus, eò minus, quò ſimul humilior, quandoquidem ad erectionem altumque ſitum corporis communiter refugiunt, qui actum illum tantæ neceſſitatis reſpiratorium difficiliùs procedere ſentiunt. Quamvis ergò ſyncopticos, cùm in humum & dorſum proſternuntur, citiùs ad vitam reſtaurari notent, uti etiam ſyncopen ad miſſionem ſanguinis quibusdam familiariter ſupervenientem præcavent, qui cubantibus venam tundunt; Quamvis etiam in quibusdam dicendis caſibus, dum ſuper neutrum latus decubitus conceditur, ſupinus quandoque ſuperſit, utcunque tolerabilis, uti pleuriticorum quidam in neutrum latus commodè decumbunt, ſed ſupini jacent: Ex adverſo tamen hic decubitus & gravem noxam ſæpiùs infert, & eo ipſo non conceditur. Illud probatur phænomeno incubi, quod communiter in ſitu ſupino ſe habet, ut cauſale antecedaneum notorium, tàm ad inducendum, quàm revocandum, & ceſſat, ægro in latus converſo aut erecto; Hoc per exempla aſthmaticorum, peripneumonicorum quorundam, omnium orthopnœam patientium, qui ſupinum, humilem decubitum non ferunt, ſuffocationem metuunt, ſitumque capitis & pectoris altiorem jugiter affectant, frequenter verificatur. *Floyer* in paroxyſmis aſthmatis ſui flatulenti, vulgò humidi, de quo periodico per triginta annos ipſe expertus ſcribit, ſecundam aut tertiam noctis horam determinat, quâ lectus relinquendus, & in ſellâ ſedendum ægro. *Patinum* noctu præſer-

tim

tim vel quâcunque levi corporis inclinatione & membrorum agitatione, recurſum palpitationis & dyſpnœæ pati ſolitum, quin orthopnoicum tandem omninò factum, ut triclinio affixus diem noctemque tranſigeret, docet hiſtoria in E. N. C. *Wepferum* ſimiliter â motu præſertim aut contentione quacunque crebros paroxyſmos aſthmaticos ſuſtinuiſſe, repoſitorio elatiori opus habuiſſe, ſæpè ſæpius noctu è lecto ſeſe proripuiſſe, atque elatis alis aërem captaſſe, tandemque orthopnoicum evaſiſſe, etiam ex E. N. C. conſtat. A' *Baglivo* deſcribuntur, qui poſt paucas horas ſomno impenſas derepentè expergiſcuntur, expergefacti ſuffocari ſe ſentiunt, feneſtras aperiunt, & liberum aërem exoptant, hi in pectore poſt mortem hydropem dicuntur offerre; Qualiter utique plenus aquâ thorax omnem decumbendi potentiam ademiſſe alibi legitur. Conjunctum pectoris & ventriculorum cerebri hydropem vidit *Lovverus* in cadavere illius, qui ſi capite in pulvinar reclinato ſomno ſe componeret, intra tertiam horæ partem horrendis inſomniis & terroribus triſtis ſemper evigilavit, quin & tremore cordis & ejusdem oppreſſione maximâ diu poſteà afflictus fuit. Juvenis venator apud *Helmontium*, de die ambulans, currens atque cætera ſanorum munia ritè obiens, toto tamen biennio noctu non auſus fuit decumbere, ſed ſedens juxta focum, totis pernoctavit annis; Etenim ſi decumbat, mox ſopitum aſthma expergiſcitur. Suppetunt tamen exceptiones non raro, ſive invenit medicus pectore laborantes, qui ſi non ſupino planè, ſed vergente interdum plus minusve ad latus unum vel alterum, benè tamen humili decubitu gaudent: Ita nobis conſtat tàm de juvene in paroxyſmo gravi cum difficilimâ reſpiratione, anxiâ & laborioſâ thoracis contentione, ad frigus extremorum & aſphyxiam ferè, jacente ſupino & humili, quâm de alio, qui extra paroxyſmum, nonniſi à motu & cibo ad metum ſuffocationis concitari ſolitum, noctu decumbit facilis. Etiam ille apud *Riverium*, qui erecta cervice, & ſedens in lecto usque ad mediam noctem manere cogebatur, ſimul atque tamen ſomno corripi incipiebat, evaneſcente protinus omni ſpirandi difficultate, capite in pulvinar demiſſo decumbere potuit, ſicque noctis reliquum pervaſit facilè. Cui jungatur æger primus decad. X. à *Welſchio* deſcriptus, qui extra nocturnum aſthma non diu modò omnia promptè perficere, ſed & noctu facilè in declivi ſitu dormire potuit. Imò

miramur quandoque humilem decubitum in ipsâ phthiſi, uti quidem inſigne exemplum ſiſtit *Wepferus* in E.N.C. D. 2. A. 9. adoleſcentis ſatis acutè abrepti, qui ad mortem usque humili ſitu decumbere valuit, & converti de latere in latus, citra dyſpnœæ aut tuſſis exacerbationem, utut in cadaveris ſectione præter aquæ multum in dextro cavo, ex pulmonum lobis hic induratus, ille diaphragmati accretus, reliquum ſpumeâ aquâ inundatum comparuerit.

Sunt etiam per infimum ventrem, quæ ſupinum declarant decubitum: Hernioſi tàm ſpe quàm metu hunc ſitum obſervant, hîc prolabendæ ibi continendæ herniæ, aut retroceſſuræ, imò & ſanandæ, quod ſub longitudine decubitus contigiſſe legitur. Hypochondriaci & quicunque ob moleſtias per & propter abdomen obſervandas neutri laterum commodè incumbunt, ſupinum habent reliquum, quandoque & liberum, aut utcunque tolerabilem, tum è duobus malis minus eligunt. Accidit paſſio benè habito corpori, moleſta juventuti & cœlibatui, quæ inter cauſas notorias agnoſcit ventrem ſupinum, qui per ſomnum animam viſu immundo & corpus profuſo ſemine polluit. Neſcio, an pueri & infantes tum maximè lectum commingant, cum ſupini cubant. Podagricorum frequentior & longior ſuper dorſum decubitus uti nephriticas & hæmorrhoidales moleſtias ſæpè ſecum fert, ita occaſionem hinc dedit phænomeno cauſali paſſim obvio, quatenus ille ſitus diſponere ad calculum, & in ſpecie in illo rene concipiendum, cui incumbitur, traditur; Quamvis alii extra diſpoſitionem podagrico-nephriticam à ſolo utut longo decubitu talem effectum ſe non obſervaſſe, aut in libero rene, qui non ſuſtinuerat incubitum, ſe calculos inveniſſe prætendant, de quo ***Helmontius*** in lithiaſi. Interim in miſerabili illo, qui cogebatur integrum annum ſedendo tranſigere, & continenter ita caput ſublime habere, ut nunquam id licuerit ipſi in pulvinar reclinare, quin tetano corriperetur, calculos in veſica tortores obſervavit ***Tulpius.*** Hydropici ſub tacitis morbi incrementis varios benè aut malè ferunt ſitus, etenim patiuntur ſæpè alias per ventrem moleſtias, quibus accommodare tenentur decubitum, cùm verò mole plenâ gravantur, tantum communiter abeſt, ut humiles & ſupini cubare poſſint, ut potius orthopnœam toties incurrant, Idem fatum inferunt alii ab occultis cauſis orti tumores ventris extraordinarii, nam & ſolus à cibis multis

tis & gravibus plenus venter moleſtias & inquietudines creat decumbenti cum ſomno turbulento.

Per artus denique determinatur decubitus ſupinus: Recordor Virginis, quam ante annos aliquot vidi laborantem contracturâ pedum tantâ, ut etiam ad nates usque retraherentur, hæc uti ne minimum in pedibus attactum ferre poterat, quin protinus in horrendas incideret convulſiones, ita convellebatur multò magis, quoties ſupina jacere voluit. Contrà, paralytici, quibus ex cauſa quacunque truncus cum artubus ſub capite ſenſu motuque privatur, ſemel ſuper dorſum locati, ſe convertere aut mutare ſitum non poſſunt, ſed eum ſervare coguntur & manere ſupini. Oedematoſi pedes gravidarum, hydropicorum & ſimilium, per diem erecti aut penduli communiter valdè intumeſcunt, ſed plerumque ſub decubitu nocturno detumeſcunt, vel in totum, vel in tantum, usque dum in radicato malo non mutentur amplius, ſed veſperi & mane eandem ſervent magnitudinem: In priore caſu tumor ille ſæpè alternat cum dyſpnœâ, aut cum aliâ faciei intumeſcentiâ. De frigidis obſervat *Lovverus*, quod noctu non ſoleant incaleſcere, nec ſomnum antè capiant, quam lectus ad pedes altius erigendos de novo ſternatur. Repletio venarum & turgentia, quæ pariter ad oculum inſequitur pendulos artus, in perſonis præſertim macilentis, imminuitur, depletur, tantum non evaneſcit iisdem horizontaliter decumbentibus aut perpendiculariter elevatis: Etiam monſtroſi varices ab *Hildano* & *Lovvero* deſcripti, qui tibiâ elevatâ detumuerunt & evanuerunt in momento, eâdem reclinatâ iterum replebantur ſanguine, & à *Panarolo*, qui per ventrem excurrerunt, cum notabili fluxu & refluxu, atque adeò cum periculo ſyncopes in decubitu ſupino, poſtulabant corporis ſitum vel erectum vel lateralem. Quod in *Schenckii* obſerv. legitur ab uſu mercurii, viſum ipſum brachio elevato per venas diffluere, hoc vero remiſſo iterum refluere, meruiſſet per omnes circumſtantias pleniùs tradi. Ne de ſpaſmo flatulento pedum noctu ſupinè protenſorum, de fractis oſſibus rectitudinem ſitûs poſcentibus &c. plura phænomena cumulemus.

Opponitur ſupino Pronus decubitus, ſed is bene rarior obſervandus: Repertus tamen, ſcribit *Pechlinus*, noſtrâ memoriâ Rex magnus & doctus, qui ſe ſemper pronum abjicere in lectum, manibusque capiti ſubjectis ſomnum præſtolari ſolebat. Vergit etiam

ad

ad pronum lateralis ſitus multorum, aut medium ferè tenet, apud illos, qui in lecto alibive jacentes ad hæc vel illa expedienda corpus invertunt, legendo, ſcribendo, ſtudiis ita vacant; Et id literatis ſæpè obtingit, dum ſomnus meridianus obrepit, obdormiſcere libris, & ſedente corpore, ſolâ facie & quadantenus pectore pronis, manibus complicatis, facieive ſubjectis incumbere. Memini me, dum puer eram, aliquoties ſtante & erecto corpore fornaci aliisque innixum ſic dormiiſſe, atque dum inter dormiendum genua vacillarent, faciem ſubjectis alliſiſſe corporibus. Huc ſpectat prona corporis & antrorſum facta incurvatio, adeò familiaris illis, quos libris immori juvat, eòque magis, quo debilior viſus objectis legendis oculos propius admovere cogit, quod quidem cum artificibus ſub conſimili flexurâ corporis commune habent: Unde autem non pauci eorum incurrunt in varias turbas & moleſtias ſtomachicas per infimum ventrem, aut fortè cum B. *Wepfero* contrahunt damnum permanens, cujus hinc demortui hepar è convexo mutatum in concavum legitur in App. E. N. C. D. 3. Plures difficultates ſub prono ſitu in hauriendo aëre, capiendo cibo, (niſi quis canum more hydrophobicos aquam lambere velit cum *Liſtero*) & moleſtias alias quivis facilè concipit: Specialius notari meretur, quod in ultimo E. N. C. tomo de longâ gravique ſuâ hemicraniâ *Rabnerus* memorat, in eam ſe primitus incurriſſe, poſtquam pronâ in librum facie obdormiviſſet: Etiam occaſionem recidivarum habuit inter alia, ſi caput in ſomnis ſitu proniore jacuerit. Similiter in diſpoſitis hæmorrhagia narium, tumor ruborque faciei & oculorum, cephalalgiæ gravantes, pulſantes, gravedines &c. ab hoc ſitu cientur, augentur; Imò inclinato pronè verſus terram capite corruiſſe quoſdam vertiginoſos, apoplecticos, ſpuiſſe ſanguinem &c. obſervamus. Quamvis ergò non immeritò à *Dureto* ex omni habitu decumbendi nullius dicatur major à naturâ egreſſio, nec magis indecora actio, quam ejus quæ fit in ventrem; & ægros ad pedes quandoq; inclinare, prolabi annotarit *Cous*: Pronum tamen decubitum quandoque poſcit miſerabilis conditio ægri, dum reliquorum cubandi modorum nullus conceditur, aut hic illorum incommoda mitigat, aut violentia morbi omnia tentare jubet. Quemadmodum enim deliri quid agant, aut quomodo decumbant vel non ſciunt vel non attendunt, imò abſurda eligunt, ita multi ſub turbis inquietudinum &

præ

præ dolorum vehementiâ ubi ſint & quid agant ferè neſciunt, vel capiti inſiſterent: Cùm aliàs ventris tormina patientibus nihil communius ſit, quàm retractis ſurſum pedibus ſuum incurvare corpus, per tempora tamen epidemicæ quondam colicæ ſpaſmodicæ vidimus, qui proni cubantes aliqualem dolorum mitigationem ita quærebant; Metallurgos ab effluvii plumbei participatione colicos in hoc ipſo actu rabioſæ felis gyrationes exprimere, ſcribunt ipſorum Medici. Alii non toto corpore proni, ſed à ſolâ partiali inclinatione levamen ſperant: Aſthmaticorum illi, quos orthopnœa urget, nihil quandoque habent reliquum, præterquam quod ſedentes pronum caput ventri adſtantis aut pulvinari imponant: Hydropici planatur manibus aliquando innixi quieſcunt, dum ſarcinam menſâ ſuffulciunt, ad cujus illa formam inde complanatur.

Poſt ſupinum & pronum ſequuntur phænomena decubitus Lateralis, quo nullus frequentior aut familiarior, adeò ut regulæ loco ſit, juxta quam æſtimandi alii, quandoquidem infert corporis totius & omnium membrorum ſituationem commodiſſimam. Ita benè valentium pars maxima corpus componere dicitur *Hippocrati*, jacendo ſcilicet in dextrum aut ſiniſtrum latus, manibus, collo & cruribus reductis, ac corpore univerſo molliter decumbente; Ita *Celſus* ſani jacentis habitum deſcribit, quod in latus aut dextrum aut ſiniſtrum uti ipſi viſum eſt cubet, cruribus paulum reductis. *Ariſtoteles* autem in problematibus quærit: Cur inflexo corpore cubare melius, quod etiam Medici plerique præcipiunt? Quam ob cauſam cum parte corporis dextrâ cubamus, ſomnus magis accedit? Cur libentes in latus accubamus ſiniſtrum, in dextrum autem magis dormimus? Transferendo tamen hunc ſitum ad morbos nova iterum exſurgunt phænomena: Eſt quandoque certum latus, in quod ab inſultu morbi projiciuntur ægroti, velut puellam quandam epilepticam ſemper in idem latus fuiſſe præcipitatam obſervavit *Williſius*; Qualem ſenſum aut metum ruendi in latus unum præ altero etiam ſubinde experiuntur vertiginoſi. Hemiplectici ſive paralytici in latere alterutro, plerumque graviter decumbentes & inquieti jugiter in illud ipſum latus reſolutum propendent, ſive provolvuntur. Cadaver in plano ſuper latus quodcunque vix ſuſtineri poterit, niſi vi alienâ. Eſt aliàs decubitus in certum latus ita conceſſus aut negatus, ut modo ſuper ſanum, modo ſuper ægrum latus ſit cuban-

dum

dum, aut à ſitu tali gravi, noxio, ægrè tolerando veniant expectandæ variæ moleſtiæ: Magnum ita momentum ſitum eſſe experiuntur in capite obverſo variè in latera, qui hæmicraniæ, vertigini, tinnitui aurium &c. ſunt obnoxii. Ludicrum phænomenon cauſatur huic illive auri incumbentibus ſcarabæus forte pulvinari incluſus aut ſuppoſitus, qui meticuloſos turbare poſſet, dum jacentes tantum ſuſurrum, erecti nihil audiunt.

Duo ſunt in pectore jugis motûs, pulmo & cor, quæ ab hoc decubitu modificantur: Hujus palpitatio quibusdam fit ſenſibilior, & moleſtior quieti nocturnæ, cum in latus reclinatur corpus; Illius actus reſpiratorii procedunt facilius vel difficilius, prout reſpondet hic vel ille ſitus, & junguntur eidem variæ oppreſſiones, ſenſus ponderis gravantis, trahentis, fluidi fluctuantis ſub converſione de latere in latus. Inſuper accedit triga phænomenorum, primo tuſſis vel quieſcentis vel indè commotæ, ſecundo expectorationis vel liberioris & largioris, vel ægræ & paucæ, tertiò doloris vel mitioris vel acrioris & gravioris; Et hoc quidem ex. gr. in ordine ad pleuritidem ita, ut ægros offendat medicus cubantes non omnes in latere ſano, ſed & quosdam in afflicto: Illud autem ad hæmoptoën ita, ut recurſum ſputi quidam experiantur vel ab omni vel certo decubitu, qui erecto corpore & circa pectus liberi & à malo immunes degebant. Hæmoptoica in obſervationibus *Plateri* dextro affecto lateri cum incumberet pati ſolebat eruptionem, proin diu ſuper illud latus quieſcere non audebat. Qui per morbos pectoris ſuper certum latus non vel ægrè decumbere potuiſſe fuerant obſervati, in anatome practica *Boneti* leguntur habuiſſe ſæpius in oppoſito latere modo pulmones nimis magnos, aut phthiſi conſumptos, modo cavum thoracis aquâ aut purè occupatum. Cùm exempla quoque ibi ſiſtantur decubitus impediti in latus, cujus oppoſito poſt mortem accreti fuerant pulmones, velut impediti in dorſum ſupini, ubi anterioribus coſtis obtigerat accretio; Imò cùm & decumbendi libertatis in totum ademptæ, ad dies noctesque in ſedili miſere tranſigendas, per eorundem omnimodam cum coſtis, vertebris, & ſepto arctam cohæſionem, ibidem occurrat exemplum; In cadaveribus autem quorundam, qui per ſuam vitam neque de difficultate ſpirandi, neque decumbendi fuerant queſti, idem phænomenon adnatorum coſtis pulmonum fuerit obſervatum, ad quos præter alios jam

provo-

provocavit *Helmontius*, & iis exemplum avium addidit: Quapropter de cauſis tantæ diverſitatis disquirendum erit ſuo loco. Aliàs ipſe longior decubitus favere poterit agglutinationi pulmonum ad illam coſtarum ſuperficiem, quam in illo ſitu magis attingunt. Cæterum miſera eſt conditio eorum, qui malè habent ex ſitu utroque, uti puella apud *Riverium*, quam urgebat dolor lateris pungens, cum in latus ſanum decumberet, & gravior difficultas ſpirandi, cum ſupra latus dolens jaceret.

Sunt paſſiones per infimum ventrem, quæ decubitum lateralem reſpiciunt: In laudato Sepulcreto leguntur viſa varia p. n. in corporibus, quæ ipſius difficultate laboraverant, ſc. tumores meſenterii, pancreatis, hepatis, lienis, cum vomicis, abſceſſibus, variâ accretione & cohæſione, grandes & acuti in rene calculi &c. A vivis audiuntur querelæ de doloribus variis obtuſis, lacerantibus, deprimentibus, de ſenſu tractionis aut gravantis ponderis, quibus magnus eſt tumor & durus in alterutro hypochondriorum, quando lateri oppoſito incumbunt. Ictericos non eodem modo decubuiſſe meminimus, plures tamen hactenus nobis obvios ægrius in dextrum; Imò dubium ſæpè videbatur illorum coloris vel incrementum vel decrementum, pro ſolâ vel decumbentis vel erecti corporis differentiâ. Nec in uno latere nephritici ad unum omnes ſitum determinantur. Hypochondriaci per ſe ſunt varii, & hîc quoq; merentur, qui obſerventur: De tali Sempronio *Pechlinus* cui in latus dextrum decumbendi adempta libertas, quòd ab hoc ſitu flatuum copia murmure ac borborygmis teſtibus jam dolores, jam alvum laxam, jam lipothymiam, jam alia excitaverit dira & ſyncopæ æmula ſymptomata, à quibus non antè fuerit liberatus, quàm erecti aut inflexi corporis figurâ, aut decubitu in alterum latus, flatuum eruptionem promoviſſet; Quibus addit, liberum ab his fuiſſe, cum ſupinus jaceret, aut poſt peractam demum digeſtionem cubitum iret. Huic ad latus ponam fœminam, quæ ſe ſpleneticam profitetur, & de ſe ipſa ita ſcribit ad medicum: Cùm fortè lateri ſiniſtro indormio, corripior tantâ ægrimonia, vomituritione & vertiginosâ turbatione, ut eas in ipſo ſomno ſentiam, ac plerumque in & ab ipſis evigilem: Quodſi tunc ſenſim me erigam aut convertam, etiam ſenſim melius valere incipio, ſubitò enim convertere corpus non licet, quia nimis tenderetur & pungeretur latus ſiniſtrum. Quotiescunque verò in ſomno terreor, aut inſomniis angor, ardoris ſenſum in eo latere experior

ab in-

ab incubitu, vigilans tamen hunc ſitum fero utcunque, cavendo usque mutationem ſitûs nimis ſubitam. Cùm citiùs curro, non alium ſenſum offert ſiniſtrum latus, quam ſi aliquid ibi nimis breve aut contractum foret. Cum in quantitate ciborum aliquantum excedo, regio illa ſiniſtri lateris premitur magis quàm ſtomachi; Et cum clarâ voce fortius & diutiùs lego, ardoris quoque illum ibi ſenſum experior. Denique hæc omnia gravius affligunt, inſtante fluxu menſium, reliquo tempore ſtatus eſt tolerabilior. *Wedelius* de phænomeno hujus quoque ventris ita: Viſus ſanguis vomitu excretus ſolùm dextro lateri incumbentibus; poſt mortem cruoris manifeſta via per anatomen ſæpè patuit, vaſe brevi, uno vel altero ramo, è liene ſimul majori exiſtente, in ventriculum hiante, ad calami etiam ſcriptorii quantitatem. In genere, lateri cuicunque non incumbit æger ob moleſtiam, quam vel in illo ipſo vel in oppoſito ſentit; Neutri autem incumbit, ſed utrumque ſimul habet impeditum, ob eas moleſtias, quas vel in uno ventre, vel in duobus patitur, dum hunc fortè ſitum caput, illum pectus, aut abdomen non concedit: Uti quidem cum turbis infimi ventris, in ſuperioribus vertigo, tinnitus, palpitatio, tuſſis, dyſpnœa, variè conſpirant, aut concurrunt, ad intercipiendam potentiam in latus utrumque.

Ut de ambitu corporis & membrorum etiam referantur aliqua, ſubjungi poterit Decubitus variè impeditus per morbos externos; Nam vel ægrè, vel plane non incumbi poteſt illi parti, quæ inflammata, exulcerata, aliterve p. n. afflicta eſt. Famoſa in hoc eſt podraga, quæ non modo cogit ægros variâ membri locatione levamen quærere, nec tamen eo frui permittit, ſed & totum ſæpè corpus quaſi clavis lecto affigit. Coxæ dolor modo certum ſitum non concedit, aliàs ſub omni mutatione ſitûs magis ſævit, non rarò immobiles tenet ægros, quandoque tamen leniri videtur ab incubitu in latus ægrum. Aliàs dolorum generale phænomenon eſt, ad tactum vel aggravari vel mitigari, vel non mutari, quod de decubitu pariter valet. Viciſſim à longo decubitu patiuntur extrema & externa corporis: Notiſſimus eſt ſtupor ab incubitu, quem per ſenſum dormientis membri vulgò exprimunt, infert autē impotentiam, difficultatem movendi membrum, inſiſtendi pedi, & ſenſum internæ formicationis, usque dum ſenſim remittat. Pulſus in carpo ita per incubitum compreſſi brachii à medico tangitur alius, quam in libero. De ſpaſmo decumbentibus familiari, jam ſuprà notatum, quòd pro individuorum differentiis ſub diverſo & incerto

ſitu

ſitu variet. Imprimit autem ſolidum cui diu incumbimus cuti ſui velut veſtigia, eique inducit ruborem, calorem, cum dolore, imò minatur abſceſſus, livores. Unde perfrequens & moleſtum phænomenon ægrorum à longo decubitu eſt intertrigo, ſive excoriatio illius partis aut lateris, quod molem corporis hactenùs ſuſtinuit, uni ægro & morbo citiùs aut faciliùs ſuperveniens, quam alteri, quæ viciſſim per circulum ægris decubitum in denudatam cutem, abſceſſibus exulceratam, reddit difficilem, doloroſam, aut hanc ipſam ob cauſam planè non concedit. De cætero, quandò aliàs turbæ excretionum & evacuationum nimis invaleſcunt, quieto decubitu cum vario ſitu flexuq; corporis eas ſedari & reprimi ſæpè obſervamus, quò aph. 14. & 15. S. IV. ſpectat: Univerſalis autem illa, quæ per cutim in ſudore fit, tùm liberius procedit communiter. Singulare eſt phænomenon, quando in E.N.C. D. 2. A. 10. *Rommelius* ſudorem ſiſtit unius tantum lateris, illius ſcilicet quod liberum eſt, & cui fœmina non incumbit, hoc ſudat, alterum vero ſiccum manet; Hic ergò decubitus pro lubitu in certum latus inſtituendus, determinavit ſudorem ad latus oppoſitum. Aliàs *Autor Medicinæ ment. & corp.* de ſe ipſo teſtatur, quod, quoties ſudare præſumſerit, absque aſſumto prius ſudorifero medicamento, undique ſolummodo probè tectus & ab omni externo aëre benè munitus, ſolâ facie ad reſpirandum excepta, abſque motu ſupinus aliquandiu cubarit, ita intra horæ unius ſpatium plerumque ſudorem ſeſe exerere cœpiſſe, copioſiorem illo, quem medicamentis, aut juſculis calidioribus provocaſſet. His adde quod ſuperius adduci debuiſſet à *Mortono* obſervatum, ſcilicet ſudores phthiſicorum colliquativos intempeſtivâ è lecto ſurrectione repreſſos, qui hydropes & diarrhœas poſt ſe trahant.

Conſuetudò jam in ratione loci annotata hîc recurrit, & plura ſuppeditat phænomena. Vix equidem ex utero materno excluſi, ſupini lecto cunisque imponimur, & ne libertas mutandi ſuperſit, undique conſtringimur: Primum hoc decubitus eſt fundamentum, & tranſit in habitum, quia tamdiu continuatur. Subinſinuat ſe tamen in ipsâ ſtatim infantiâ reſpectus quidam lateralis, quatenùs non modo cunarum motus corpus de latere in latus vertit, ſed & ipſi infantes actus diſcretorios brevi exſerunt, vertendo & flectendo quantum poſſunt vel corpus vel ſolum caput in illud latus, unde lux appellit, unde nutrix accedit, mammam & pultem præbens. Teſtatur de hoc capitis frequentiore ſitu planities quædam, quam in illo latere præ

oppo-

oppoſito contrahit & autopſia confirmat. In adultorum craniis effectus longæ talis conſuetudinis impreſſos ipſi oſſeæ ſubſtantiæ obſervant, qui cum *Lovvero* calvarias demortuorum inſpiciunt, à decubitu ſcilicet ſupino profundas utrinque in occipite foveas, & ſinus in illo latere magis excavatos, in quo homo ſolebat quieſcere. An & hinc diverſa venarum amplitudo, à chirurgis in ejusdem hominis brachiis ſubinde obſervari ſolita? Ad prævalentiam aliàs dextri brachii multum facit, quod in jugi magis exercitio eſſe ſoleat, (unde & longior plerumque eſſe ſolet;) an & quomodo decubitus concurrat, meretur diſquiri. A ſupino igitur & humili tali ſitu, cui primum aſſuetus homo, vel deflectit citius vel tardius, determinatur fortè ad certam ſpeciem ab ipsâ diſpoſitione hæreditariâ, maximè pro exigentiâ occaſionum & circumſtantiarum invitatur ad mutandum, alternandum. Cum decubitu ferè comparatum eſt, ut de aliarum rerum non-naturalium uſu dicitur, ſanis omnia ſana ſunt; ita multi ſub indifferentiſſimo quodam omnes ſpecies locandi corpus habent liberas, quod in aurem utramque dormire poſſe jure dixeris, nec tamen in paucis tacita & occulta viget inclinatio ad certum ſitum, aut invitatio ad frequentes converſiones, volutationes, ad compenſandam hâc mutatione negatam longiorem in uno latere moram; Enimverò ipſa hæc actio ſæpè peragitur nobis vix jubentibus aut attendentibus, etiam à dormientibus, aut vix niſi obſcurè vigilantibus. Quanta illa moleſtia quam infert fixus in uno ſitu decubitus, quanta ſollicitatio animæ à paſſionibus tum afflicti corporis, imò à propriâ impotentiâ aut impatientiâ? Quilibet ſanus periculum in ſe ipſo facere poterit, & credet ægris, vel ſolis, qui fracto crure neceſſarium habent pro remedio quietum longumque decubitum. Et hîc tamen mali obſervatur conſuetudo, & patiendo diſcitur tolerantia; Imò ita lecto adſueſcunt quidam, ut alium ſitum non ampliùs ferre queant: Quibus addi poſſunt, qui ex hac ipsâ causâ contrahunt artus rigidos & inflexiles. Quemadmodum illi amorem lecti ægrè dediſcunt, aut noviter ſenſim diſcunt incedere, ita omnis in decumbendo contracta conſuetudo non mutatur, niſi ſenſim per contrarios actus; Id usque dum fiat, interim moleſtiæ multum creat, quod experiuntur certo lateri adſueti, quotiescunque à morbo poſthâc ipſi incumbere prohibentur.

Hæc ſunt phænomena, quæ per hiſtorias ægrorum ſparſa, in unum colligere placuit, ut poſt hac revocari poſſint ad ſuas cauſas, quod Bono cum DEO tentabo quàm proximè: Illud modo in fine capitis addo, quandoquidem ſub ipſius elaboratione evolvi non paucas obſervationes medicas, & doctas & curioſas, quæ tamen deſideratum decumbendi phænomenon, utut absque omni dubio circa ægros fuerit notabile, ſilentio planè prætermittunt, hæc collectanea hiſtorica in poſterum per experientiam tàm alienam quàm propriam ulterius utique fore perficienda & latius extendenda.

TANTUM!

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA;

DE

DECUBITU;

Cujus Partem alteram,

Conſenſu & Decreto

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

IN ALMA EBERHARDINA,

SUB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI

RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,

Facultatis Medicæ Decani,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET PRIVILEGIA OBTINENDI

Publico Eruditorum

Examini ſubjicit,

JOH. JACOBUS AMMANN,

Scaphuſâ-Helvetius.

Ad diem Martii,

IN AULA NOVA

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII,

Anno M DCCI.

CAPUT II.

Tentamina Pathologica.

DEcubitus in pathologiâ duplicem invenit locum, & referri poteſt, tàm ad cauſas morborum, quàm ad ſymptomata. Nam primò eſt è cenſu rerum non-naturalium, & qui ſanitatem debebat conſervare, concurrit ad eam labefactandam, quandò variè peccat, & inſtituitur aliter, quàm exigentia corporis requirebat; Secundò autem impotentia per morbos contracta ſpectat ad læſam actionem facultatis animalis, tàm quieſcendi, jacendi, quàm movendi & regendi corpus, quà vel aboletur, imminuitur, vel depravatur, per gradus & modos ſpeciales varios. Priori ſenſu pertractari debet in relatione ad partium & actionum læſiones, quas inducit, in poſteriori deduci à ſuis morbis, ſivè quam conſequatur diſpoſitionem læſam; Etenim vel non conceditur, quia cauſæ rationem induit, quia lædit, de quo prius, vel ſimpliciter prohibetur à vi morbi, atque ita debet declarari per ſuas cauſas. Quandoquidem ergò pro erigenda & movenda corporis machinâ opus eſt partes ſolidas artificioſiſſimè conſtructas actuari principio hydraulico & pneumatico, ſive ſanguinis & ſpirituum debitâ quantitate & ſufficiente impetu perfundi, horum igitur uno & altero vel utroque deficiente, labaſcet corpus. Quemadmodum impotentia naturalis infantum dependet à ſolidis nondum firmis, non oſſibus ſolum, ſed & fibris motricibus minus robuſtis, cum vi minore utriusque fluidi; Et non-naturalis illa poſt labores ac vigilias conſequitur ad ſolidas attritas, diſtractas, fluidas conſumptas; Ita impotentia hujus loci præter-naturalis aliundè accerſenda non erit. Equidem decubitum ægrorum illuſtrat ille alter decubitus dormientium, ſub quo radiatio principii actuantis minus vergit extrorſum, & in tantum partes tàm ſenſiles quàm motrices deſtituit. Ipſo ergò primo mobili noſtro quieſcente, corruit machina, debilitato languet, & ipſius virtuti motrici ita reſpondet, ut ritè etiam ſe habentibus

termino per & ad quem ſufficiat pro ſuſtinendo cauſæ titulo, multò magis, quandò ipſius languor cum vario horum obſtaculo conjungitur. Non hîc diſquiram, quinam morbi à diatheſi ſpirituum præter naturali & qui à craſi ſanguinis labefactatâ primariò oriantur, aut in ſpecie utrum maligna dejectio, modò præceps modò ſubdola, & ſingularis illa infirmitas, prius & potius à ſpirituoſo fluido ſit, cui intentatur necroſis, an à ſanguine, qui periculum incurrat vel reſolutionis vel coagulationis? Sed quod de viribus ægrorum debilibus ſub diſtinctione dici ſolet, tales ipſas eſſe vel ab oppreſſione vel ab exhauſtione, id hic applicabo ad decubitum; Conſiderari quippe poteſt Natura, modò ut deperdito ſub multis & longis jacturis vigore languens, modò ut copiâ heterogeneorum quaſi gravata & obruta, quin & eorundem adversâ qualitate variè laceſſita & irritata: Quorum iſtud ex dictis modò per ſe claret, illud lege oppoſitorum declaratur, ubi excuſsâ cauſâ velut onere levata natura vel vires ſtatim iterum prodit, ipsâq; vi movendi vegetâ demonſtrat, vel brevi recuperat, hoc denique inter alia familiarem multis ægris inquietudinem infert, ſive jam cum *Bellino* crebra ejusmodi mutatio decubitûs potius ſit ab electione ægri, qui tentat, num aliquo modo levari ſe ſentiat, ſive à neceſſitate liquidorum hos aut illos muſculos irritantium. Reniſus hinc principii moventis procedit ratione non unâ: Durum à ſtirpe genus firmatum uſu corpus eo ipſo etiam in morbis ſæpè ſuſtinet, dum alii & animo & corpore molliores moleſtiæ cedunt & ſuccumbunt: Prævalere etiam interdum notatur animi impetus & ſupplere defectum virium; Sic timor viſus alas addidiſſe pedibus ipſorum podagricorum, cum metus ex. gr. incendii decumbentes excitaret. Quod in hujusmodi caſibus ſingularis animi corporisve conatus valet, idem præſtare ſolet etiam delirium, dum vel ſpecialis raptus ad caput, vel generalis ſanguinis exagitatio & igneos magis ſpiritus generat, & eos ſuo appulſu fortius percellit. Extra hujusmodi caſus qui infirmi jacent refugium communiter habent in ſuo lecto, aut ubicunque prehenſi ſe ampliùs ſuſtinere non poſſunt procumbunt, quia onus proprii ſui corporis, quod ſpirituum copiâ & vi non parvâ in erecto ſtatu tenendum erat, obvio illi corpori cuicunque ferendum imponunt, hinc enim remiſſio & quies, tàm motori, quàm organo; non tamen plena, quoniam ipſa corporis in certo ſitu conſervatio, tàm

in le-

in lecto, quàm alibi, ab utriusque niſu eſt. Unde extremam quaſi ſpirituum penuriam accuſat *Bellinus*, quandò ægri inſtar ſtipitum projectis artubus, uti lethargici ſupini, jacent, eo ſcilicet poſitu, qualis dormientium, in quo minimum muſculorum contrahendum, quò etiam vergit pars maxima ponderis, quæ in parte poſteriore corporis viget ob oſſa & muſculos, & ſuſpenſiones horum omnium ad partes poſteriores; Talibus porro cubitus in latus maximè difficilis factu declaratur, cum debeat ſuſpendi corpus ſupra parvam amplitudinem lateris, apte collocatis artubus & capite, ita ut centrum gravitatis earum partium intra eandem cadat, ex quâ tamen poſitione propter eandem anguſtiam partium levi quolibet motu corporis poſſit abripi & extra ferri. Pro hoc autem æquilibrio inſtituendo & conſervando, pro aptâ plerorumque muſculorum contractione in decubitu laterali, imò pro brachiis modò & cruribus complicandis & contrahendis, major quàm morbi conditio ſecum fert, requireretur ſpirituum copia.

Non autem remedium ſemper laboris & languoris eſt lectus, ſed & cauſa fit non raro. Equidem quocunque homo ſe conferat, offendit cauſas, quibus afficitur, & ubicunque degat, ſpecialiter tamen etiam ex conditione loci, expoſitus eſt influxui agentium, quæ ipſum undique circumſtant. Decumbens noxam ſæpè haurit ab aut in loco tàm communi, quàm proprio: Ibi enim offendit ante omnia, quæ ſenſus percellunt fortius, modò ſubitaneo ſuo appulſu, quò terror cum ſuis effectibus ſpectat, modò longitudine durationis, quæ vel tandem ſenſus habetat; ſi vel ſola quies quæſita per decubitum, ſed à loco turbulento non conceſſa, defraudat corpus beneficio magno, quidnî impreſſio ipſa moleſta & multiplex noxam turbasque aggravabit & intendet. Nec tamen in bonum decumbentis ſemper cedunt ſolitudo, tenebræ, ſilentium, & hujusmodi, quin etiam cauſæ rationem ſubinde induant; præterquam enim, quòd occaſionem ita nanciſcatur, qui eò demerſus jacet, ſub quâ vel congeniti vel acquiſiti affectus animi ſe exerant, inſuper ſpirituum & humorum motus ſenſim conditioni loci ſe accommodant. Offendit etiam variè in locis, ubi jacet corpus vel ſanum vel ægrum, quæ non manifeſtè ſolum ſed & occultè ſe inſinuant & alterant: Præter ea, quæ devitari poſſunt à vigilantibus, ſed dormienti fortè inſidiantur, ex. gr. animalia noxia, aut undecun-

 que

que imminent injuriæ aliæ, ipſe etiam, cujus ambitum & introitum minimè declinare poſſumus, aër, periculum multiplex minatur. Quod autem hîc de ipſo quà frigido & calido, humido & ſicco, graviore vel leviore, referri poſſet ad expoſitum ſub vario decubitu, domi, ruri &c. ipſius actioni corpus, id facile huc transferet, qui talia amat, ab iis, quibus hominem ex profeſſo ut aërometrum conſiderare fuit volupe. Interim conformiter demonſtratis *Boylianis* effluviorum aeri commixtorum & à corpore hauſtorum, præter miram ſubtilitatem, imprimis determinatam naturam & magnam efficaciam experiuntur; qui vel malignitate ipſorum vi loci inficiuntur, vel denſitate obruuntur, aut quâcunque adversâ qualitate læduntur. Suſtinet porrò locus quoque proprius varios reſpectus; Debet conſiderari lectus, aut quidquid vice lecti eſt, quo corpus recondimus, in quo jacet, ſtatim juxta primas iſtas qualitates, quæ manifeſtè afficiunt ibi jacentem: Fundamentum alterationis morboſæ corpori hinc inducendæ conſiſtit in invitatione à centro ad circumferentiam, & viciſſim, prout à calore aut frigore vel laxata vel conſtricta caro favet aut reſiſtit admiſſioni ſanguinis. Quamvis ergo primum lecti, quem petimus, frigus poſſit & ſoleat percellere ſatis efficaciter, & interdum quòque eò usque, ut invaleſcat ad cauſam morbificam, communius tamen brevis durationis eſt, & poſt ſe trahit fomentum calidum, quando noſtri corporis contactu calefactum, non modo frigus externum arcet, aut ab eo nos defendit, ſed & noſtra nobis ſervat effluvia calida, & athmoſphæram nobis propriam format & terminat, non æquè turbandam ab exteris. Ita tamen jacens & calens malè tum habebit, cùm concurrente loci utriusque vi calidâ nimis exagitatur corpus, rarus nimis inſpiratur aër, motus inteſtinus nimium excandeſcit, aut abſumptis tenuioribus ob craſſiores particulas, quæ per anguſtias ægrè procedunt, magis moleſtus fit. Item aptum videtur corpus inprimis tunc ad recipiendum quæ ab extra accedunt impura & maligna; Fundatur enim illa aptitudo in poris, qui calore lecti patentiores cum totâ texturâ corporis laxiore faciliorem reddunt ſubintrationem & diffuſionem contagio cuicunque, præter illam partem, quæ ore hauriri potuit. An ergò qui lectum non ferunt, ſuſcipiunt effluvia quædam ſibi infeſta, an calore ipſo excitant affectum dormientem, cauſamque quietam? Aut quid antipathiæ vel

magiæ ſubeſt? Habenda tum quoque ratio ejus, quod in hoc ſtatu dimittitur: Iſto enim modo diſpoſitum corpus ſudat, ſæpè in bonum, quandòque tamen procedit ultra quàm par eſt, ut, concurrente habitu interno & externo tegumenti calore, ſudor tranſeat in cenſum ſymptomatum, imò quà colliquativus cauſæ rationem induat. An quies & patientia ſufficit illi, qui ſupino decubitu ſe ad ſudorem ita diſponi profitetur, an ille ſitus ſerum ad peripheriam ſingulariter determinat? Forſan, ſcribit qui citati ſudoris in uno latere cauſam quærit, pori illius lateris cui incumbitur, ob molem reliqui corporis ſuperjacentis arctius conſtringuntur, & glandulæ ſubcutaneæ ab incumbente onere nimis comprimuntur, viaque præcluditur, quò minus ſeroſitas in iis contenta ad & exfluere poſſit? Lege igitur oppoſitorum facilè patet frigoris noxa, quæ & qualis redundet in eos, qui decumbunt beneficio iſto deſtituti, & injuriis externis expoſiti, aut qui appulſum frigoris intempeſtivè ipſi quærunt: Conſtrictâ enim texturâ cutis & occluſis poris reſiſtitur ſanguini per externum corporis ambitum circulaturo, reprimitur quod excernendum erat, atque adeò venenum, fermentum, aut heterogeneum qualecunque non modò retinetur toti grave, ſed & ad alia, fortè nobiliora, loca deponitur. Conſiderandus tandem lectus, ut corpus ſolidum, quod corpori noſtro tàm incumbit, quà grave, quàm ſubſternitur, quà durum aut molle: Sic enim hæc duo in ſe mutuò agunt & reagunt, ut pars ſolida quæcunque aut latus, quod lectum immediatè contingit, patiatur dupliciter, tum ab eo quod ſubjacet, non cedit, ſed pro ratione ſuæ conſiſtentiæ & texturæ variè moleſtat, tum à mole reliqui ſui proprii corporis, quæ iſtam premit, urget, & in reſiſtentiam alterius ſolidi adigit, ut homo quoad diverſas ſui partes etiam hoc in ſenſu ſibi ipſi oneri ſit. Effectus hujus paſſionis ſub decubitu in parte quâcunque eſt multiplex, poterit diſtinctè deduci moleſtus dolor & vi ſtimuli contitandus affluxus ab eâ quâ ſentiente, compreſſio & detentio, quà ſanguini transmittendo deſtinatâ. Quò diutius ille ſitus durat, quò mollius corpus & durius objectum, eò graviores effectus. Uti ſenſus communiter læditur à ſenſili fortiore, ita ſenſus idem delicatior ſive tenerior æquè malè habet ab impulſu agentis etiam in ſe non vehementiore, & infirmo etiam onus non magnum grave tamen eſt: Unde non mirum, ſpiritus qui ſuſtinendo corpori minores ſunt, & minus reniti &

magis

magis gravari etiam communis lecti pondere; Item tenſas fibras incubitum conſimilem & motum ſolidorum in ipſas terminatorum experiri moleſtiorem. Cutis id declarat intertrigine laborans, quam ubi ſemel à decubitu contraxit, hunc deinceps doloroſum facit; & uti ab extra ſudoris, urinæ & fæcum ſordida acrimonia, intus ſanguinis cachexia eam fovent, ita gradum doloris & moleſtiæ altiorem infert ſingularum iſtarum cauſarum contactus parti cuicunque excoriatæ. Magna interim hîc ratione morborum & ratione perſonarum atque naturalis cutis teneritudinis obſervatur differentia, dum unius cutis præ alterius facilius vel difficilius citius vel tardius excoriatur: Sic de *Peireskio* refert *Gaſſendus*, quòd tam importuna ipſi fuerit & mira cutis teneritudo, ut quâcunque corporis parte vel tantilla fieret veſtium compreſſio, rubeſcens tumor cum vehementi prurigine cooriretur.

Pergo ad decubitum cum ſuis differentiis, quà referri debet ad ventres & artus, & in eo quæri ratio tot paſſionum, propter quas de ſitu ſui corporis homo adeò eſt ſollicitus. Cum corpore quidem animato ita eſt comparatum, ut, quod aliàs optari ſolet pro ſalute reipublicæ, unum membrum alteri quàm minimè moleſtum eſſe, id in eo utique obtineat. Hoc enim admirandâ ſtructurâ effectum dedit noſtrûm Conditor, ut ſanum corpus & moveri & cubare poſſit multifariàm, imo verti ſusque deque, multis ſæpè & diu abſque noxâ: At facilis eſt jactura hujus beneficii, & tranſitus in neutrum aut ægrum ſtatum, quia per decubitum communiter admovetur & circa & intra nos agens patienti, id eſt, cauſa ſubjecto, partesque partibus, ut ex decubitu fiat incubitus, & evadat moleſtus, ſive pars ſenſibilior, tenerior, debilior facta priſtinum contactum ægrius ferre incipiat, ſive ſana quidem novæ tamen impreſſioni ſuſtinendæ impar ſit, ſive uterque reſpectus concurrat; Suſtinebit tunc quæ ſentit, modò momentum ſimplicis ponderis, modò potiorem vim ſtimuli, quæ moveri debebat ſtuporem, rigorem, diſtorſionem, quæ fluidis vehendis deſtinatæ compreſſionem, diſtenſionem, perruptionem, quæ conjunctæ divulſionem, quæ ſejunctæ conjunctionem, & cæteras porro læſiones, ex ſerie morborum conformationis & unitatis ſolutæ huc transferendas. Quamvis ita nihil ferè ſit in nobis quod decumbendo pati non poſſit, aut turbare decubitum, meum tamen non

eſt

eſt, thema hoc per omnes particulas deducere, ſed ſufficiat tentare, quî per exempla notabiliora hinc inde obvia poſſit illuſtrari.

Fiat autem initium à Capite, ubi conferri debet iter ſanguinis per caput cum decubitûs differentiis, quæ hîc ut alibi in ægro jamdum corpore gravius & manifeſtius invaleſcunt ad effectus morboſos. Solet in anatomiâ comparatâ adnotari, quod pro diverſitate ſitûs, quam exigit conditio animalis, reſpondeat etiam in capite vaſorum diſpoſitio, ex. gr. in brutis, quorum capita verſus terram inclinant, tubuli qui in ſinus ſanguinem effundunt ſecundum curſum ſanguinis ſunt diſpoſiti, in homine oppoſiti, quoniam declivitas ejus ab anticâ capitis parte verſus poſticam inſignis eſt, uti *Lovveri* & *Vieuſſentii* mentem exprimit *Tauvry*, quamvis *Riedleyus* prætendat contra illorum mentem, venas ſinui longitudinali implantatas non ſolùm obliquè antrorſum tendere, ſed & totidem retrorſum: Pariter de reti mirabili conſtat, quòd aliqui voluerint, caveri appoſitè, quorum animalium prona ſunt capita, ne cerebrum ſanguine obruatur, quamvis aliam rationem cur id homini negatum fuerit jam olim tetigerint in E. N. C. D. 2. A. 5. biga Inclytorum Patriæ Medicorum *Peyerus* & *Meyerus*. Nihilominus multiplices anfractus & inoſculationes arteriolarum cedunt in bonum humano capiti vertendo in varios ſitus; Imo proſpectum eſt cerebro ſolidarum contextu, ex. gr. interpoſitu duræ membranæ, tàm inter utrumque cerebri lobum, quàm cerebrum inter & cerebellum, pro læſione & preſſione in ſitu laterali & ſupino præcavendâ. Conſiderari poteſt ſanguis, primò quà appellens, non quòd ſubtilior vi propriâ ſumma petat, pellitur enim à corde indiſcriminatim, pro ratione tamen decumbentis corporis major quantitas & major impetus determinari poteſt ad cerebrum: Prius patebit infra, ubi ratio habetur eorum, quæ minorem quantitatem demittunt per aortam deſcendentem, adeòque plus cogunt in aſcendentem: Poſterius ad cor ſyncopticorum ita *Lovverus* applicat, ut illud debile exiſtens ductu horizontali ſanguinem in caput projicere prætendat, quem in erecto ſitu eò ſuffundere non potuerat, ut ab ejus influxu redeat iſtis ſenſus & vita; in quo etiam principio *Fr. Hoſmannus* rationem quærit, cur poſitura corporis erecta tàm noxia ſit malignè decumbentibus, ſcilicet ſub defectu illo virium à ſyſtole cordis, quæ debilis & imbecillis ad ſanguinem perpendiculariter ſurſum movendum

dum ad caput non ſufficiat, unde cerebrum ſanguine, cor ſpiritibus & corpus hinc utroque fluido deſtituatur, novamque patiatur alterationem à retropulſo, quod per ambitum evacuari debebat. Debet autem ſanguis etiam refluere: Hoc, præter remoram in collo & pectore poſſibilem injectu, in genere à ſitu vario ita impediri poteſt, ut vel ad utrumque vel alterutrum latus, aut certos ramos & ſinus ſaltem aliquos ſpectet, in ſpecie à capite nimis demiſſo ægrè procedere imprimis deducit *Lowerus*, & attendit ad deſcenſum è parte (cujus vim ad urgendum verſus cor minorem notant alii) facilitandum niſu proprii ponderis, delapſum rectà affectantis, quod in humili ſitu momentum deſideratur, additque reſpectum ſinuum ſub variis decumbendi modis ad jugulares & ex illis ad has protrudendi ſanguinis, unde iterum ex iisdem principiis *Tauvry*: Circulatio in capite difficilis in duobus illis ſituationibus, primò, quando caput inclinatur, tum enim ſanguis in ſinu longitudinali contentus aſcendit, qui aliàs ordinariè deſcendit, ſecundò, quando parti capitis poſticæ incumbimus, capite aliquantum reclinato exiſtente, tum enim ſanguis venarum jugularium aſcendit, qui deſcendere debet; quæ ſingula capite jamdum ægris & debilibus erunt ſenſibiliora. Effectus tum ab & ſub decubitu ita impediti circuli per caput primus eſt vaſorum repletio, diſtenſio, quod tàm ad irritandum valere poteſt, quàm ad premendum, ut non immeritò quæratur, ſi duritiem oſſis longitudine temporis reprimit & ſuperat ſanguis, quid in molliores valebit? *Cowperus* in non nemine, qui à primis annis vehementi cephalalgiæ obnoxius ex apoplexiâ demum obiit, veſtigia vaſorum calvariæ impreſſa perquàm notabilia & quaſi pellucida obſervavit, ob vaſa duræ meningis calami craſſitiem æquantia. Equidem facilis concipitur ab infarctu vaſorum diſtenſio, divulſio, eruptio, cùm ſub inepto jacentis ſitu non reſpondet reditus appulſo ſanguini, & non obſcuram ita fundat cauſam apoplexiæ ſanguineæ. Alter effectus eſt ſeri dimiſſio, quod ſub morâ difficilis progreſſûs ſecedit à ſanguine, de quo in eruendâ glandulæ pituitariæ ſtructurâ & functione loco non uno occupatus legi meretur *Brunnerus*: Hîc in ſpecie conſiderari poteſt ſerum illud loco peccans, quà per ſitum corporis ſimpliciter determinatur ad irrigandum, inundandum, obruendum & opprimendum cerebrum, ita ut mutato ſitu & erecto corpore ſi reſorberi liberius poſſit & revehi cum ſanguine, moleſtia-

rum

rum prius ab ipſius copiâ inductarum ſequatur levamen aut finis; Quodſi qualitate inſuper peccarit, & lentorem aut acrimoniam vel ſecum attulerit, vel contraxerit, invaleſcit ad novam vim obſtructoriam, aut irritatoriam, paralyſeon, dolorum & ſpaſmorum productricem, quos intra caput ſe continere non crediderim, ſed ad omnium partium actiones lædendas ſe extendere, quæ de illarum fibrarum fluidi influxu dependent, & vel obſtruuntur, vel ſtimulantur, idque ut aliâ quâcunque de cauſâ, ita imprimis etiam favente decubitu & applicante ſerum ad has illasve partes præ aliis. Quin ſitus corporis juxta ductum medullæ oblongatæ per amplum occipitis foramen demittere poſſit tale fluidum, non video quid repugnet; An vero ipſum depluat è capite tanquam caſtello *Piſoniano* juxta tractum nervoſi ſyſtematis ad ſubjectas partes, id adhuc dubium videtur. Enimverò plerorumque modus deducendi incubum à ſupino decubitu fundatur in illo ſero ad nervos reſpirationi dicatos circa exortum ruente, in quo tandem & *Wedelius* acquieſcit, ipſas aliorum ſententias diſtinctione inter locum & focum conciliare ſatagens, poſtquàm in genere ab illâ lymphæ circulatione in capite impeditâ non modo varios morbos, ſed & varios conceptus ideales expreſſos & natos conſurgere agnoviſſet. Aliter ſeri proventum intra cranium & noxam inde per varios corporis ſitus declarant, qui ad vapores confugiunt, quos etiam nuperus *Domergius* ſub decubitu altiore in caput elevatum facilius & copioſius aſcendere putat, unde in aquam ibi condenſati decidant in ſubjectas corporis partes, harumque invaletudines adaugeant vel de novo efforment, ſive depluant in carnes, atque in parte quâdam debiliori & infirmâ ſubſiſtentes inflammationes & dolores pariant, cùm tamen in demiſſiore ſitu vapores tùm ab aſcenſione, tùm ab intimiori ſui conjunctione & defluxu in membra omnino prohibeantur. Verum ille vaporum aſcenſus nimis dubius nec probatus ſatis eſt, quàm ut eo niti velim, quanquàm circa eadem cum priore tempora alius gallus vapores denuò univerſalium cauſarum morbificarum cenſui intulerit, ſcil. *Langius* in ſuppl. Act. Lipſ. T. 2. S. 2. longè latequè eos deducens per nervos quidem, quà impetuoſè ruentes & decumbentes. Quod autem concernit caput elevatum, quod præ demiſſo ille accuſat, id ratione quidem nititur debili, pro varietate tamen morboſarum diſpoſitionum locum habere poteſt & ſuaderi quibusdam

 busdam

buſdam, de quo in Cap. III: Adde quod altior ſitus minus quieti faveat, dum plures ſpiritus poſcit, pro corporis in eo per ſomnum conſervatione. Quæ per externum caput à decubitu notantur phænomena, partim patent à generali affectione corporis noſtri ambitûs, partim difficultatis non multum involvunt: Aurium illa paſſio dependet à duplici principio fortiorem vim inferente, percelluntur enim fibrillæ nerveæ, tàm ab agitato effluviorum rarefactorum impetu, quàm tremulo motu ad proximè pertingentes partes protenſo.

Decubitus in medio ventre inferens periculum ſuffocationis interrumpitur, ejusque tum loco urget orthopnœa: *Helmontius* in probando caduco pulmonum prolixus, venatoris tamen ſui per annos decumbere non valentis rationem ſpeciatim non exquirit, niſi quantum ex modo declarandi medelam, quam orthopnœa affert, colligi poteſt, tùm enim erecto thorace majorem ſibi concipit eſſe libertatem pororum, qui anhelitum è pulmone in thoracem transmittunt, in eorum quippe contractione formale aſthmatis fundarat. Rectè utique ſe habet prædicatum ſpaſmodicum aſthmati tributum, ſed aëris ille tranſitus dubius & vexatus eſt, poros item aperire aut contrahere, conceſsâ hypotheſi, conſequeretur præcisè ad ſpaſmi remiſſionem aut intenſionem; hunc ergò ad ſitum erectum & ſupinum referre neceſſe fuiſſet. *Bellinus* cauſam orthopnœæ in peripneumoniâ declaraturus, partim reſpexit ad partes pectoris externas, quæ moveri debent, in quas reliquum corpus nititur, & quæ in fulcimentum lecti ipſæ nituntur, ratus in decubitu difficiliùs moveri coſtas, quam in ſitu recto, in quo nullus lecti contactus, & nulla proinde mutua partium pectoris preſſio, partim ad internas, pulmonem cum truncis aſperæ arteriæ, conſiderans illum ſuprà hos gravitantem, eosque comprimentem, unde difficilior influxus & effluxus aëris, & ſuffocationis ſenſus major, in recto autem poſitu pendentem pulmonem expanſum undecunque ad usque ſuperficiem internam pectoris, quo tempore nullus niſus in aſperam arteriam ſupra naturæ modum, exceptâ eâ preſſione, quæ provenire poteſt ab inflammatione, quæ minor erit in recto, quàm in ſupino poſitu. Quemadmodum harum rationum primam illuſtrat conatus talium orthopnoicorum, omni modo in id allaborantium communiter, ut vel firmatis ad ſpondam lecti manibus quantum pote dilatent & amplient ſpatium thoracis, quod in erecto ſitu quàm maximè adjuvatur de-

ſcenſu

ſcenſu viſcerum, quæ jacentibus ſuperiora petunt in præjudicium pectoris; quanquam & hîc ex anatomiâ comparatâ notari ſoleat, pericardium diaphragmati annexum eſſe in homine, ne hoc à pondere viſcerum ibi ſuſpenſorum deorſum traheretur, utque eò facilius in pectus aſcenderet, ſecùs in quadrupedibus, quorum viſcera ob ſitum diaphragma potius ſurſum pellunt; Ita occaſione alterius, quæ in pulmone inflammato graviore fundatur, non minoris momenti pondus urgens & anguſtans vias aëris ex aliâ causâ quâcunque ibi concipitur. Sic autor epiſtolæ ad *Patinum*: In ſupino decubitu inflatis pulmonum lobis ſupra truncos aſperæ arteriæ gravitantibus, eosque magis comprimentibus, quia in recto ſitu pendens atque expanſus pulmo minus in eosdem nititur, orthopnoicus evadis. Scilicet quidquid cum polypo paria præſtat, congerit, accumulat & detinet fluidum, quod graviorem facit pulmonem, modo conſimili provocabit orthopnœam. An in affectibus pectoris, qui inſpirationem difficiliorem expiratione inferunt, opus eſt erigi corpus? An verò in caſu oppoſito, ubi naturali amplior & violentior eſt thoracis ampliatoria diſtractio, adeòque laborandum ægro in contrahendo & exſpirando, ibi jacere licet ægris, erecto ſitu minus opus eſt? Aliam porro humilioris ſitûs cauſam adducendi occaſio ſe ſe offeret infrà; Qui verò ex his rationibus deduci non poſſunt humiles ſitus, expediendos ſibi ſumat, qui de variis rebus extraneis præter-naturalibus in pulmonibus ſine difficultate hærentibus erit ſollicitus. Pro decubitu laterali à diſpoſitione pectoris impedito diſtinctè proponi meretur multiplex reſpectus partium ibi comprehenſarum ad ſe invicem: Primus eſt loborum pulmonis unius ad alterum, ægri ad ſanum, & ſani ad ægrum, variè quidem, vel pituitâ infarctum, vel tuberculis obſeſſum, vel inflammatum, vel exulceratum definitè aut indefinitè &c; Talis pulmo naturali gravior in decubitu laterali juxta *Bellinum* nitetur in latus ſanum, & eo ipſo exercebit ſuum niſum & gravationem naturali majorem, ut æger veluti ſuspenſi aut imminentis, aut impendentis ponderis ſenſum ſentiat, adeòque in latus ſanum decumbere recuſabit. Enimvero variare multipliciter poteſt hic reſpectus loborum mutuus; Nam ſi inflammato, tenſo, & ægrius jam dum ſpiritum trahenti, incumbat alter grandinoſus, ſcirrhoſus, viſcido lentore gravis, aut viciſſim, ſuſtinenda erit modò potior ponderis, modò ſtimuli vis. Si bronchiis aut

 caver-

cavernis quibuscunque inhæſerit humor, quem profundior ſitus ægrè ſurſum moveri ſinat, incubitus aliorum intercipiat, difficulter procedet expectoratio: Si ſanguis ipſe fortius irrumpere poſſit, aut liberè ſatis refluere nequeat, tentabit latera vaſculorum, & favebit tum decubitus eruptioni hæmoptoicæ. Secundus reſpectus eſt pulmonis ad thoracem; Qui quidem ipſe fibras ſuas inflammatas per ſe jam ægrius moveri experitur, & à preſſione ſubſtrati lecti afficitur, ut aliæ partes communiter, ſub differentiâ doloris interni aut externi, quorum ille, non hic contactum fert: Inſuper tamen vi decubitûs neceſſum habet contingere lobum pulmonis vel ſanum vel inflammatum, ipſe fortè ſimiliter affectus, aut viciſſim. *Fr. Bayleus* à pulmone molli & ſano pleuræ ægræ doloris remedium promittit, quo invitentur pleuritici ad decubitum in latus affectum, devitent autem, quem difficilem experiuntur in latus oppoſitum; Cauſam hujus fundat in analogiâ, quæ, dubito, an huc benè quadret: Comparat pleuram inflammatam aut ulceratam digito inflammato, pulmonis deſcenſum ab ægro verſus ſanum latus cum embolo ſyringæ deſcendente, & tum pleuram divelli putat, uti digitus ſentiretur quaſi trahi dolorificè, ſcilicet verſus locum minoris reſiſtentiæ, urgente fluido externo, cui incluſus pulpæ digiti & pleuræ inflammatæ aër addi deberet, ſiquidem hypotheſi placeret inſiſtere. Hæc prætenſa divulſio me ducit ad illam paſſionem, quæ per ſenſum quoque tractionis & avulſionis exprimitur, & vexatæ illi connexioni præternaturali pulmonum cum pleurâ ſub decubitu in latus oppoſitum adſcribitur; Præter differentiam gradualem, quæ non nullius etiam momenti, illud maximè attendendum videtur, quo cum pulmone coaleſcat, an cætera ſano, an dictis modis morboſo? Tum enim ſuum cuique tribuere, ſive complicatos diſcernere, & intricatum extricatu erit eò difficilius: Ut reliquas pulmonis moleſtias, ita etiam eam quæ ab & ſub decubitu, inde aggravatum iri non dubito. Tertius lobi alterius reſpectus eſt ad fluidum præter-naturam cavum thoracis occupans, ſanguinem, pus, ſerum, qualia conſiderari poſſunt, primò quà fortè imbibenda: An huc ſpectat illud inter phænomena empyematis à *Wedelio* propoſitum? Vidimus decumbentibus pulmonem, velut ſpongiam in aquam intinctam, repletum mox ſtertorem concepiſſe, & minitatum ſuffocationem; Secundò, quà prementia, tale enim fluidum grave lateri ſano ſen-

ſum

ſum ponderis incumbentis offert, cum vi decubitûs vergit & inclinat ad mediaſtinum, & ſubjecta gravando urget. Hæc & ſimilia hujus ventris præter-naturalia contenta porrò ſe extendunt vi decubitûs ad reliquas ibi ſitas partes, ad œſophagum, hinc anguſtationi, compreſſioni obnoxium, per quem aliàs vel horizontaliter ſitum vel perpendiculariter deglutienda diverſimodè deſcendunt; ad ductum thoracicum, quem à vicinâ aortâ deſcendente defenſum & occultatum licet, à glandulis tamen plumonum in poſticâ parte præter-naturam inſignibus, valdè numeroſis atque duris, ita propè ingreſſum in venam ſubclaviam compreſſum notavit & vidit *Mortonus*, ut cum chylo omnis ferè in ſanguinem aditus eſſet præcluſus, corpus ſuo nutrimento defraudaretur, vaſa lactea in abdomine ſita ultra tonum diſtenderentur, tandemque rupturam, à quâ deinde hydrops chyloſus ſupervenit paterentur, plurimum dubio procul conferente decubitu ſupino; ad nervos, preſſioni, tenſioni, irritationi hinc expoſitos, cum præjudicio partium, quibus ſpiritus deferunt; ad cor denique ipſum, quod variè aliorum mole urgeri, obrui, prohiberi poteſt in ſanguinis ſui tàm receptione, quàm exantlatione. Quanquam viciſſim cor vel in hydrope pericardii natans, vel polypis aut aneuriſmate gravatum partibus ſpiritalibus moleſtum fiat. Imò varius undarum ſanguinis occurſus circa hunc generalem earum concurſum ſibi ipſi impedimento eſſe poteſt, & per mutatos ſitus juvari; Utique tuberculo quodam inter duos cavæ proper cor ramos poſito proſpectum notant anatomici, ne ſanguis deſcendens aſcendentem per venas impediret.

Thoracem excipit abdomen, fundatque non pauciores cauſas ægri decubitûs: Nam primò contenta infimi ventris præjudicant medio, & ad dyſpnœam vel etiam orthopnœam inferendam concurrunt, cùm ut prius innui ſpatium pectoris coarctant, non habent quò ſe recipiant, omni ſpatio jam præoccupato & diſtento, imò vi ſitûs ſurſum nituntur: Sic ante aliquot annos in Lanione quodam, qui dum viveret non niſi de difficulte inter reſpirandum querebatur, tantæ molis vidi lienem, ut diaphragma ab eo in cavum thoracis ſurſum adactum pulmonum expanſioni ita obſtaret, ut hinc ſiniſter lobus dextro maneret dimidio minor. Uti ratione conſiſtentiæ nec ſolida, nec humida, nec ſpirituoſa excluduntur ab hâc ætiologiâ, ita pro impedimento diaphragmatis halitus & vapores impuros,

copio-

copioſos, acres, malignos in hypochondriacis & ſimilibus, qui lateri alterutri interdum minus incumbunt, vitio ſolidarum jungit *Wedelius*. Secundò decubitus cauſam quandam habet in reſpectu contentorum hujus ventris ad continentia; Pro ſitûs enim ratione diſponuntur inteſtina vel ad prolapſum, pro vergentiâ ſuæ gravitatis & lubricitatis, urgentiâ flatuum, & proclivitate dilatati aut rupti proceſsûs, vel ad quietam detentionem, determinato aliorſum iſto motûs principio. Deſuper cartilago in quam deſinit ſternum, dicta enſiformis, quibus introrſum recurvatur, ſubjectis partibus moleſta, ſingultûs, atrophiæ, aſthmatis aliorumque gravium affectuum cauſa agnoſcitur à *Diemerbrœekio*, in ſpecie ad ægram corporis flexionem determinatur. Ubicunque porrò viſcera membranæ ſuccingenti adnaſcuntur, ibi etiam inferunt ſenſum intentatæ tractionis, tenſionis, avulſionis à loco adhæſionis ad locum oppoſitum, quò inclinat pondus tum deſcendens, ut cogatur homo concedere vertendo, flectendo, & accommodando corpus juxta exigentiam illius nexûs, ad evitandum quem ab incommodo ſitu expertus meminit ſenſum moleſtum; Quo quidem modo viſcus unum alteri pariter præter-naturam necti, ſimilesque proin paſſiones decumbentibus inferre poteſt. Tertiò contenta reſpiciunt ſe invicem & mutuò, ſivè ſint ipſa viſcera, ſivè noviter ſuborta, vel fluida, ut hydropicorum aquæ, vel ſolida, ut fœtus in utero, aut tumores quicunque & ubicunque monſtroſi. Omnia enim talia decubitus ordinat ad varium incubitum, imò domeſticos, dominium obtinentibus peregrinis, in tantas ſæpè cogit anguſtias, inque adeò parvum ſpatium coarctat, ut indicibilis moleſtiæ ſenſus omnia tentare, abſurdos ſitus quærere cogat, aut omnem decumbendi potentiam adimat. Occupat hypochondriacam regionem biga viſcerum, quorum unum magnitudine & gravitate auctum alteri incumbens grave fit, & decubitum oppoſitum moleſtat, quin ad ſubjecta & interjecta eundem niſum protendit. In ſpecie ſtomachus, malè habens anxiarum jactationum autor, aut pulvinari ſuo ſcirrhoſo moleſtè incubans, tàm opprimitur iſtorum mole, quàm aliàs ipſe plenus vicinis gravis fit: Ideò putavi peregrinos varios in ore ſapores ſupinè ſed humili ſitu & in latere ſiniſtro cubantibus communes eſſe, partim quòd vapores, flatus & varii in venticulo contenti liquores per gulam in os, eâdem cum gulâ & ventriculo tunicâ veſtitum ſub declivi hoc ſitu aſcendere poſſint,

partim

partim quòd, cùm diutius juſtò ſiniſtro incumbimus lateri, cibi etſi digeſti, ultrà ſolitum tamen tempus, in ventriculi fundo permanere cogantur, ubi longiori morâ corrumpi facilè queant. Magis autem tales peregrini ſapores in ore obſervantur, quandò ſtomachus multis & diverſis cibis eſt refertus, & quandò os inter dormiendum hiat, unde tunc fauces exareſcunt, lingua & labia fiſſuras contrahunt &c. Itidem attendi meretur quæ utrique hypochondriorum lateri ſubeſt diſpoſitio inteſtinorum: In dextro ſub pyloro & colo eſt inſignis confluxus bilioſi & pancreatici ſucci cum recens è ſtomacho dimiſſo chylo, quorum mixturam ſitus corporis variè promovet aut moratur & turbarum fundamenta ponit; Quà ſtomachus diſtentus premendo veſiculam fellis invitare creditur ad emiſſionem ſuæ bilis, mutuum iſtum contactum promovebit decubitus, hancque cauſam pro circumſtantiarum reliquarum conditione determinabit in bonum vel in malum. In ſiniſtro latere eſt famoſa coli, cellulis diſtincti, flexura, Æoli antrum, cui adſcribunt communiter turbas hypochondriacas, qui ſpleneticas agnoſcere nolunt, & vel ipſo ſitu corporis incarceratis flatibus vexari concedent. Imo multiplex inteſtinorum per totum ventrem circumvolutio ad ſpecies decubitûs modò ægrius, modò melius ſe accommodat. An incurvati, à mutuo partium fomento lenimen ſentiunt, an tenſa ita laxant, & abbreviari inflexione corporis concedunt? An proni à calore, preſſione, liberiore circulo, minus impeditis flatibus, levamen experiuntur? Aut an ſimplex mutatio ſitûs novis intùs humorum motibus occaſionem dat, in bonum ægri fortè erupturis? *Ariſtoteles* ſoluturus problema, cur inflexo corpore cubare melius ſit, cauſam deducit à ventre, qui quò recaleſcit citius, eò concoquat celerius, in illo autem ſitu recaleſcere citius; adhæc, pergit, locum flatibus dare oportet, in quem incumbant & innitantur, ita enim minimè infeſtabunt. Corpore extento caverna nulla ejusmodi adigi poteſt, locum etenim omnia viſcera occupant; Inflexo autem omnia laxantur & ſinuantur. Quartò patiuntur à contentis imi ventris qui per eum undique excurrunt ductus, & qui per eos feruntur humores: *Fr. Bayle* in ſupino decubitu plus ſanguinis ferri ad caput prætendit, quia minus per arteriam deſcendentem demittatur, idque ex duplici cauſâ, quarum primam deducit ab incubitu hepatis & omnium viſcerum, quâ prematur & reddatur anguſtior, ſecundam

 à ſimili

à ſimili compreſſione venæ cavæ, quâ non modò impediatur, nè tàm liberè redeat ſanguis, ſed & nè tàm facilè fluat per aortam ad partes; Preſſio autem & anguſtatio inferiorum, majorem procurat affluxum ſuperioribus. Qui pedum venas diſtendit ſanguis, & œdematoſum infarctum ſubterfugio ſeri procurat, cauſam habet in hoc ventre, quæ ramis iliacis gravis incubat, vel mobilis per varias mutationes decubitûs, vel fixa magis, aut quæcunque moles cum fœtu in utero paria præſtans in ſufflaminando ſanguinis ad ſuperiora reditu. Cùm vas breve varicoſum & amplum cruenta vomentibus & in dextro latere jacentibus ſanguinem in ſtomachum ipſo impetu & pondere invitaſſe legatur, duplex obſtaculum ſanguinis circulo poſitũ licebit concipere, unum in obſtructione viſceris non transmittente, alterum in pondere ejusdem comprimente, & applicare talem cauſam ad ramos illos hæmorrhoidales, quos peramplos è *Veſalio* citat *Mortonus*. In genere, uti decubitus cum vitiis viſcerum hypochondriacorum concurrit ad variam ſanguinis ſuſceptionem & transmiſſionem per arteriæ cœliacæ ramos, ut retrò actis interdùm quaſi fluctibus palpitare faciat cor; Ita quin ſitus motum ſanguinis per portæ venam in hepar, & tranſitum ex hoc in cavam ſubindè impediat, eò minus dubito, quò effectus longæ inflexionis & compreſſionis in prono ſitu & vitâ ſendentariâ ipſi ſolidæ viſcerum texturæ impreſſi ſunt majores & clariores; Hinc autem largus moleſtiarum & turbarum proventus in anterioribus, quorum ſanguis in refluxu impeditus accumulatur, diverticula quærit, largius plorare facit glandulas, fibrarum motricium ſpaſmos ciet. An ab accumulato per moram ſub decubitu ſupino ſanguine, major quantitas liquoris ſeminalis ſecernitur, an ſecretus jam ſub majore dorſi incaleſcentiâ rareſit, & expanditur, ut noctu ita profundatur? Nec abſimilis erit paſſio vaſorum lymphaticorum & lacteorum, ſi ad eas vel unà, vel ſeorſim pertingat compreſſio, invaleſcens incubitu ad hydatides, rupturas &c. Situm utique animali familiarem pro deductione chyli meliore ſic accommodat *Covvper*, ut prætendat, quadrupedibus ob ſitum horizontalem unum quidem ſacculum chyliferum ſufficere, ſed in hominibus dividi receptaculum chyli in tres truncos ſive canales, propter commodiorem aſcenſum chyli, quia ductus thoracicus & receptaculum ad perpendicularem ſitum vergunt. *Lovverus* denique vias urinarias à decubitu in functione impeditas concipit, tàm ure-

teres,

teres, per quos urina non ita promptè ac in erectis deſcendat, quàm veſicam ipſam, quæ in proclivi ſitu urinæ pondere non admodum gravetur, & in ſomno non æquè oneris ſenſum habeat; Hoc ipſi principium regurgitantis ſeri in totum corpus, & in ſpecie in caput, illaturum graves affectus iis, qui ſeris indulgeant potationibus.

Paucis tandem videndum de artubus: Equidem quam *Ariſtoteles* cauſam decubitûs inflexo corpore melioris quæſivit in ventre, eam *Borellus* deducit ab artubus; Ipſi enim audit ſtatus articulorum parùm inflexus, ſivè medius inter extremas diſtractiones & inflexiones, naturalis, & idcircò à moleſtiâ immunis & ſuavis, quia extremæ poſitiones articulorum maximè extenſæ, aut nimium contractæ & inflexæ fieri non poſſunt absque violentâ diſtractione aut compreſſione tendinum, membranarũ & muſculorum, quæ ex ſui naturâ moleſtæ & dolorificæ ſunt. Quam item *Stagirita* cauſam ſtuporis & torporis manuum pedumque in defectu ſanguinis fundavit, eam communius ad nervorum fluidum retulerunt hujus patroni: Facilè conceſſero fieri tum ſanguinis vel privationem vel translationem, & artus eſſe carnis inopes, & in tantum citiùs refrigerari, ſed eo ipſo quo agnoſcit eosdem eſſe nervi uberes, quid nervos immunes ſervet, quò minus comprimantur, ſicque tàm appulſum, quàm repreſſionem ſpirituum impediant, non video; Unde ſpasmus flatulentus à vario etiam ſitu ſubinde artus corripiens haberi poterit pro fibrarum motricium ab ægrè circulante ſanguine paſſione & reactione. Varicoſæ porrò intumeſcentiæ cauſa quærenda, partim hîc infra, partim deſuper: Eſt enim locus hic à corde remotior, quò pertingit vis emboli ſenſim minor, tùm imprimis, cùm in ſe languidus eſt, ægrè ſurſum redit ſanguis ipſe, ob proprium pondus, ob tenues & diſtractas venarum tunicas, ob quietem aut atoniam fibrarum circuli promotioni faventium, ob interceptum ab incumbente deſuper pondere aſcenſum. Hinc per decubitum elevatis pedibus, facilitari refluxum, accelerari circulum, appulſum arterioſi ſanguinis, & cum eo caloris, promoveri notat *Lovverus*; Ita tamen, ut quemadmodum extraordinaria quandoque varicum amplitudo, nimium ſanguinis detinendo, cordi præjudicat, ita exinanita eadem ſubitò, quantum illud ei ſuffundendo, cor ferè obruat, prout ſitus ad alterutrum ex his duobus diſponit. Uti porro difficilis reditus ſanguinis è pendulis pedibus favet ſeceſſui ſeroſitatis, & ſtag-

nationi in partium interſtitiis, ita rurſum mutatus ſitus favet reſorptioni & reductioni ipſius ex artubus in ventrem, pro conditione quidem ſanguinis è quo, partis in quâ, cauſæ à quâ (vel mobilis vel fixæ magis) & ſeri tandem ipſius, quo farciuntur omnia, tenuioris vel viscidioris, vel primùm talis, vel morâ tandem facti. *Ruyſchius* in muſeo proponit os unum innominatum decliviorem habuiſſe ſitum, quàm alterum, ante ſceleti exſiccationem, & tale quid imponere putat Chirurgis, exiſtimantibus os femoris exarticulatum eſſe, quum offenderent alterutrum protractius eſſe poſt lapſum & dolores immanes; Hoc dicit ſæpius dependere à ſitu & corporis protractione, unde decliviorem acquirat ſitum, ut inſequente oſſe femoris crus longius videatur.

Deductus ita per partes decubitus ſupponit ubique corpus animatum, & hinc occaſionem dat quæſtioni, quid animæ in his caſibus ſit agendum, quid patiendum? Primo quidem ruit corpus, ſui jam ponderis inclinationi relictum, quandò ab animâ deſtituitur, vel in totum vel in tantum, interrupto commercio, quod aliàs viget inter mentem & corpus, & privativè quidem declaratur ipſo mortuorum, ſyncopticorum & ſimilium abjecto ſitu, poſitivè autem per modos ſequentes: Nam ſecundò anima conſideranda ut ſentiens, id eſt, quà non latet ipſam paſſio corporis, in decubitu à ſenſoriis ad commune terminata, talium impreſſionum perceptio, cum eo qui hinc exurgit dolore, animæ eſt; Unde communiter nil magis in votis habet, quàm ita poſſe locare corpus, ut patiatur quàm minimum, ſi vero dura neceſſitas urgeat, è duobus malis minus eligit, veluti dum concurrunt infirmitas & orthopnœa, ibi decubitu, hîc erecto ſitu opus eſſet, metus enim præſentioris in ſuffocatione periculi facit, ut anima illò ſeſe abdicans, hunc toleret utcunque. Ut ita eligere poſſit, ſpectat huc tertiò quà movens: Proſpicit enim corpori pro agnitâ exigentiâ, illud regendo, locando, per determinationem ſubordinati principii impetum facientis in organa motûs, ut quærat levamen, vitet moleſtiam, avertat periculum. Uti patitur anima à corpore, quandò diſpoſitio hujus illam ſollicitat ad quærendos ſitus commodiores; ita in corpus agit anima, quamdiu & quoad illud nutui voluntatis ſubeſt: Ubi hanc obſervare videtur maximam, ita locare corpus, ut minimis impenſis ſpirituum, minimâque applicatione opus ſit. Denique quartò aſſueſcit anima, id eſt

con-

conſuetudinem contrahit, tàm in ſentiendo, quam movendo; Tunc actus ſibi familiares experitur faciles, quæ in tentandis novis vel deficit vel aberrat, pariter ab impreſſionibus ſibi notis & ordinariis minus afficitur, ſecura degit, quæ turbatur ab inſolitis. Primas ergò tenet in decubitu, quandò quaſcunque ob cauſas longitudine aut frequentiâ certi ſitûs conſuetudinē inducit, & corpus indifferens determinat, poſtmodum firmato habitu patitur ſe cogi à diſpoſitione corporis ad eundem ſitum, & tàm ægrè deſueſcit, quàm ægrè mutatur ille mechaniſmus; hoc eſt, quàm ægrè conjunctæ partes abhinc ſeparantur, compreſſæ dilatantur, diſtenſæ vim ſe contrahendi, quam amiſerunt, recuperant, aliæ callum, quem veluti contraxerunt, deponunt, &c. *Ariſtoteles* ex hoc principio, quòd quiſque invitetur ad opus fungendum habitûs ſui ratione, cauſam dedit problematis, cujus quidem veritatem in me ipſo experior, de univerſalitate autem incertus ſum, cur ſoleamus cubare in ſiniſtrum, dormire in dextrum? Illud enim fieri, ut vigilantes dextram pro functione operum habeant expeditiorem, ergò ad contrarium opus contrarium eſſe ſitum, inſuper principium movendi & reſurgendi, aut dextram, cujus eſt movere, ita quieſcere & detineri. Quæri poſſet ſub finem, cur diutiùs jacendum infanti, quàm bruto cuicunque? Fortè in hâc exigentiâ naturali fundamentum vitæ ſocialis agnoſcent Moraliſtæ, an vero Phyſici, ultra culpam in corpore ſupra quæſitam, intrinſecam quandam animæ ineptitudinem aut impotentiam ſint admiſſuri, dubito.

CAPUT III.

Meletemata Practica.

EX præmiſſis non difficile eſt colligere, quale ſignum præbeat decubitus: Videlicet ipſa hiſtoria & ætiologia hactenus propoſita notitiam ſignorum ſimul fundant, proin repetitione & applicatione plerorumque iſtorum omnium opus foret, ſiquidem decubitus plenè ſemeioticè deberet tractari. Sufficiat ergò iterum morbos quoſdam eorumque cauſas & ſubjecta potioribus exemplis declarare, ut pateat, quàm in iis vel ſolus indicet, vel aliis mereatur jungi. Cùm ſtatim laſſitudo ſpontanea morbos prænunciet, decumbendi ſivè deſiderium ſivè neceſſitas extra ordinem obtingens, morbum immi-

 nentem

nentem aut fientem denunciabit, & conſtituet ſtatum neutrum decidentiæ. Per morbos ipſos ex fundamentis jactis tàm agnoſcere licebit ex decubitu & ſuſpicari cauſas illas, quæ eum vel procurare vel impedire dictæ fuerunt, quàm affectu cognito dicere, qualem ſitum habuerint aut habituri ſint ægri, prudenti undique conjecturâ, quam poſt mortem confirmet anatome. Ubi de differentiis dolorum agitur, communiter hoc ſignum attenditur, nam quod de contactu in genere dicitur, etiam de illo, qui per incubitum infertur, valet, ubi dolor externus exacerbari, & augeri per preſſionem, internus vel non mutari, vel ipsâ quandòque illâ compreſſione juvari notatur: Rheumaticam lumbaginem à nephritide diſtinguit *Sydenham*, quòd æger procumbere nequeat, ſed vel è lecto exiliat, vel ſuper eum erectus ſedeat, corpore perpetuâ agitatione, nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato: In pleuritide *Jonſtonus* decubitum faciliorem in latus patiens pro ſigno habet afflictæ tunicæ interioris, contrario enim modo ſe rem habere in eâ, quæ exteriorem circa oſſa afficit, ſupinum autem decubitum dolore liberiorem eſſe, utrâque affectâ: In *Welſchio* & *Boneto* traditur quædam pleurorthopnœa, ſivè reſpiratio difficilior ferè erecto corpore, diſtingens pleuritidem ex dorſo à peripneumoniâ, ad quam abhinc in Praxi attendendum: His adde modum *Baglivi* pleuritides occultas indolentes manifeſtandi, ſcil. colligendo ſedem, ubi dolor aut gravedo percipitur ab ægro in latera decumbente, fortiter reſpirante & tuſſiente. Ubi hoc incidit, an parotidum, morbos pectoris judicantium, locus & latus in quo, cum decubitu laterali correſpondeant? *Hippocrates* in prognoſticis inter alia empyematis ſigna locum quoque determinat; Præter latus ſuppuratum, quod altero calidius tangi monet, jubet ægrum in utrumque latus convertere, & ex eo diſcere, numquid doloris percipiat in altero latere, num in latus integrum decumbenti pondus aliquod grave ex ſuperiori loco pendere videatur; Nam ſi hoc ita ſit, illi lateri empyema aſſignat, quà pondus illud grave percipitur: Per ſimilem puris, empyemati in pectore analogam, in ipſis cerebri ſinubus à decubitu factam fluctuationem, tanq. pathognomico ſigno, abſceſſum hypocranium agnoſci poſſe, ſtatuit *Arn. Bootius* de aff. omiſſis. Cæterùm de internis pulmonum affectibus *Pechlinus* in genere: Plerumque quo latere pulmonum eſt obſtructio, ei difficiliùs incumbitur, quòd expanſioni thoracis, quæ ad tuſſim promovendam

neceſſa-

neceſſaria eſt, locus in illâ preſſione negetur: *Mortono* in ſpecie inter ſigna infarctûs phthiſici, partium pulmonis glanduloſarum eſt gravitas & tuſſis major, ægro in unum latus decumbente, quàm in altero: *Baglivus* item ſignis occulti pulmonis tuberculi accenſet, dolentem in locum decumbere non poſſe. Idem ab orthopnœâ illâ nocturnâ, de quâ capite primo, certum & infallibile ſignum ſumit hydropis pectoris; Ubi tamen cautelâ opus erit, an diſtingui poſſit, quod cauſæ debetur, ab eo quod effectui; quid obici poſito circulationi ſanguinis, & quid aquæ hinc extruſæ, effuſæ? *Riverius* cum *Welſchio* nullum in pulmone affectum latitare ex humili & placido decubitu extra paroxyſmum orthopnoicum cum aliis ſignis collegit; Anhelitûs ergò difficilis, ſivè aſthmatis nocturni cauſam alibi quæſivit, & è ſtomacho, inteſtinis, pancreate ad diaphragma & pulmones deduxit: Quamvis fixa in pectore cauſa incremento & decremento poſſit eſſe obnoxia, poſſit etiam complicari & aggravari turbis aliunde accedentibus, locum tamen focumque ſimul liber decubitus ibi vix admittit. In his confiniis ſigna, propter quæ à pleuritide metum apoſtematis in ſplene conceperat *Helmontius*, ipſe ita recenſet: Lien globatus in molem pondus faciebat; Si enim genua in ſublime attollerem, vel in latus dextrum decumberem, gravis ponderis cadentem globum ſenſi. Flebile pondus volutatur in utero, quod molæ ſignis adnumeratur, cùm loco motûs à fœtu expectati ſimplex pondus ſtanti fœminæ pubem premit, jacenti de latere in latus cum ipſo corporis ſitu mutato vertitur; Non diſſimilis ratio fœtûs mortui; Fluctuatio aquæ, ſi ſaccis non concluſa, aſcitem à tympanite cum aliis diſcriminat. Mitto plura talia. Ad prægnantiæ tamen ſigna adhuc referam decubitum; Sic enim nuper ad me Amſtelædamo Dilectiſſimus meus Frater: Experientiâ edoctus ſum, ex minus fallacibus prægnantiæ & viventis fœtûs ſignis unum hoc eſſe, ſi mulier in dorſo decumbens cruribus quàm rectiſſimè exporrectis, pedum digitos fortiter moveat; quia tum fœtus ſi juſtam habeat ætatem & adhuc vivat, ſe movebit. Denique *Hippocrates* è decubitu ſignum ſymptomatis ſiſtit: Quod ſi in ventrem jaceat, cui, dum benè valeret, inſolens ſit ita jacere, delirium quoddam id præ ſe fert, aut dolorem partium alvinarum. Enimverò plura idem ſigna largiter ſubminiſtrat, quæ attendenda Practico, ſunt autem maximam partem prognoſtica, & docent, quid è decubitu prædicendum boni aut mali;

primò

primò decubitus illos in bonis ducendos eſſe monet, qui benè valentium ſimiles ſunt, ſupra deſcripti, dein receſſum ab hâc regulâ malum declarat exemplis: Ut, ſupinum jacere, manibus, collo & & cruribus valdè projectis, minus bonum; Quodſi etiam declivus fiat æger, & delabatur è lecto ad pedes, pernicioſius illud eſt; Quodſi porrò denudatis pedibus deprehendatur, nec admodum calidis, manibusque, collo ac cruribus negligenter projectis & nudis, malum id eſt, inquietudinem enim ſignificat, &c. Pleraque Latinus repetit *Celſus*: Gravis morbi periculum eſt, ubi ſupinus æger jacet, porrectis manibus & cruribus; Mors denunciatur, ubi æger ſupinus cubat, eique genua contracta ſunt; Ubi deorſum ad genua ſubindè delabitur; Ubi brachia & crura nudat, & inæqualiter diſpergit, neque his calor ſubeſt, &c. Cauſas in differentiis virium ſuprà tetigi, notæ autem, quas commentatores addunt, huc redeunt; Eum, qui è tali decubitu voluerit judicare, quæſiturum, an ita ſoleat aliàs ſanus cubare, qui jam æger, conſuetudo enim ſigni malitiam limitat, dein habiturum rationem criſeos, quæ ſubſequens turbationes prævias ſuſpectas delet. In genere, conceſſus ſitus, quem morbus prius non conceſſerat, reſtituta decumbendi libertas, imò potentia ſuſtinendi & regendi corpus, velut in bonis eſt, ita ſtatum neutrum reconvaleſcentiæ conſtituit.

Spectat denique decubitus ad partes Artis magis practicas, & principes, ad Hygieinen & Therapeuticen; Quia modus conveniens locandi corpus pro conſervatione ſanitatis ſub legitimo rerum non-naturalium uſu, cujus doctrina methodum tuendæ ſanitatis conſtituit, comprehenditur: In Methodo autem Medendi recurrit duplex reſpectus, quia debubitus, ut omne ſymptoma, indicans quidem fit, ſed inutile, utpote cui ſatisfieri non poteſt, niſi reſpiciendo ad morbos & cauſas, undè pendet tàm impotentia illa movendi corpus in proſtratione & dejectione, quàm altera quieſcendi, in jactationibus, inquietudine, orthopnœâ, ſpeciali decubitu quocunque impedito, aut moleſtiis & doloribus inde illatis; Hinc non quidem niſi ſublatâ causâ tollitur effectus, de quo in curationibus ſingulorum ex profeſſo, circumſpiciendum tamen de levamine, pro decubitu reddendo utcunque tolerabili. Quà vero decubitus cauſæ titulum ſuſtinet, & eſt de numero juvantium & lædentium, præbet tàm cautelas practicas, ſcilicet quem vitare debeant

ægri,

ægri, quàm fidelia monita, qualem ex adverſo eligere; Habet enim ſe decubitus ut reliquæ res, è quarum cenſu eſt, non ſolùm ordinatur ad indicationem vitalem, ſivè ad conſervandas & reſtaurandas in morbis vires, ſed etiam ut auxilium opponitur ipſis morbis eorumque cauſis, & adhuc ſpecialius, modò inſervit ad præſervandum ab affectibus eorumque paroxyſmis, modò ſuccurrit ſymptomatibus urgentibus, eorumque vehementiam quiete, ſituque convenientе moderatur. Quamvis itaque ad fontem Diæteticum ſpectet hoc thema, ubi propriè agitur de quiete, loco, ſitu, omnibusque ſimilibus debito tempore & modo inſtituendis, ulterius tamen excurrit etiam ad reliquos fontes, & in Pharmaceutico medium fit applicandi partibus aut toti medicamenta, in Chirurgico autem plerumque abſolutum requiſitum eſt pro inſtituendis operationibus, quandoque etiam per ſe utilis. Ita decubitus pars eſt non minima œconomiæ illius circa ægrum, quam commendat *Cous*: Medici eſt, ita ordinare ſitum, ut nè lædat, ſed juvet; Qui curam ægrorum gerunt, inter alia etiam decubitûs habeant rationem, erigendo, vertendo, tegendo, mundando, cavendo, ne cadant, lædanturve ullo modo ægri, ubi vigilantiâ, dexteritate, fortitudine opus eſt; Æger ipſe, aut qui ægrotare timet, ſiquidem cum Tiberio alieni conſilii indigere ſibi turpe putet, ad internoſcendum corpori ſuo utilem vel noxium decubitum poterit animum advertere, recordari, obſervare, quo malè habeat, tentare, experiri, quo melius degat, habebit ſubindè, quæ ſequatur, item quæ medico referat, profutura ad morbi pleniorem cognitionem & curationem: Sic utique phænomenorum capitis primi transformatio in meletemata practica non eſſet difficilis.

Juvabit aliquantum deſcendere ad ſpecialia, & ad tres potiſſimum circumſtantias attendere, An, Ubi, Quomodo ſit cubandum? Superfluum videri poſſet de primo quærere, cùm non modò ſanis abſolutè neceſſarium ſit ſuo tempore decubitu quietem quærere, durabile enim non eſt, quod caret alternâ requie, ſed etiam ægris commune in hoc præſidium fundetur, &, ſi tibi deficiant medici, à ſcholâ *Salernitanâ* quies medica cum aliis commendetur; Ex adverſo tamen valet hîc etiam illud: Ne quid nimis, item, otia dant vitia, imò ipsâ in therapiâ dantur caſus, ubi diſceptatur an cubandum? Singularis eſt in ſuâ œconomiâ *Sydenham*, & difficilis quandoque

 in

in concedendo ægris decubitu, adeò quidem, ut in febre intermittente, corticis Indici viribus multum detrahi velit, ſi æger per ejus uſum lecto ſe continuerit, (quâ quidem ratione loci quoque reſpectus ſubintrat) imò hoc in cauſâ fuiſſe putat curationis non modo protelatæ, ſed & febris nimium intenſæ, ut mortem ipſam æger haud effugerit: Graviter porrò de variolis diſſerit, & decubitum in lecto refert inter cauſas, quæ variolas faciant plures & confluentes, protrudant maculas purpureas, inferant mictum cruentum, fruſtrentur narcoticorum largam etiam & repetitam doſin, unde ſuis ægris lecto interdicit primis morbi diebus, ſivè interdiu ſolum abſtinere jubet; Quin ulterius extendit, ad febres continuas, easque anomalas fieri & inſignes iis ſymptomatibus prætendit, quæ vulgò malignitati, quam ipſe non agnoſcit, ſoleant imputari, cùm tamen ad morbum per ſe non ſpectarent, ſed proveniant inter alias cauſas etiam à calore lecti, cui jugiter & præter ſolitum morem æger includitur. Meum non eſt celebrem hunc Practicum redarguere, ſi quid tamen mihi dicendum, ego cum *Mortono* medium tenerem: Corticis uſus ſibi non aliud poſcit regimen, quàm febris ipſa, quia per ſe non movet ſudorem, niſi quem natura antidoto adjuta criticè pellit, decubitu utique juvandum: Frigidum autem in variolis regimen uti hîc loci fugiendum cenſeo, ita damno nimium æſtum ægros ſuffocantem, quietem autem decubitûs ſimplicem communiter utilem & neceſſariam experior: Tandem febris reverà benignæ, ſolo decubitu, quà calorifico, uti & uſu medicamentorum alexipharmacorum, mutatæ in malignam & petechialem, exempla deſidero. Aliàs autem reſpectum morborum & perſonarum habendum, facilis agnosco, præſertim in chronicis & ſub declinatione: Cavendum ne ſub ipſo decubitu nimium deperdatur per tranſpirationem, aut ne ægros amor ipſe lecti diu nimis detineat, ubi excitandi quandoque veniunt. Quemadmodum illi, qui multum temporis manibus pedibusque fuerunt ligati, licet deinceps ſolvantur vincula, ambulare tamen neſciunt; Sic etiam qui à diuturno nimis decubitu infertur torpor ſenſim ſuperandus, & inſolitus ſitus tori reconciliandus. Huc ſpectant omnia beneficia, quæ à motu paſſim commendantur, in primis à laudando *Sydenhamo*, & omnia decubitui oppoſitæ artis gymnaſticæ præcepta, quia iſtis privantur, qui hæc in actum non deducunt; unde conſilium *Baglivi* de lectis mobili-

bus. Proponunt quandoque podagrici quæſtionem, utrum conſultius ſit reniti morbo, & moveri deambulando, an quieſcere jacendo? Reſpondet *Celſus*: Si cui dolere nervi ſolent, huic quantum fieri poteſt exercendum id eſt, quod affectum eſt, objiciendumque labori & frigori, niſi cum dolor increvit; *Baglivus* autem notat, firmari & roborari motu pedes, ut ad materiam podagricam recipiendam minus fiant proclives, hinc occaſionem dari recurſui ad interiora, & ſtagnationibus ibi lethalibus, niſi per alias vias eam eliminari contingat. Diſtinguenda ergo ſunt tempora, vel acceſſûs podagræ, qui vacandi dulcedinem infert, nec patitur afflicto afflictionem addi, vel diſceſsûs, tum membra moderato motu ad actiones ſuas iterum ſenſim adaptare, non inconſultum.

Abhinc locus, ut in bonum decumbentis cedat, curandum. Ubi quidem miror, ſalutare remedium ſomniantibus in fanis Ethnicorum à dæmoniis potuiſſe obvenire; Inter nos templa decubitûs medici gratiâ non frequentantur: An vero, qui hodie medicinæ donum non acquiſitum, ſed infuſum volunt, loci conditioni quid tribuant aut debeant, mihi non conſtat. Ille locus pro decubitu ſingularis eſt & ſalutaris, de quo *Kirckerus*; ſcilicet ſpelunca illa non procul à Româ, la grotta delli ſerpi, ubi hydropem deſperatum linctu & ſuctu ſerpentũ curatum recenſet *Rommelius* in penultimo tomo E.N.C. Eſt hæc prærogativa planè rara, ultra & ſupra balneum ſudatorium laconicum quodcunque, ubi aliàs decumbere quoque poſſunt & ſolent ægri, & experiri ſub vario ſitu vim vel ſimplicis vaporis calidi vel medicati, ex gr. effluviis corticũ abiegnorum & quercuum, de quo *Schrœckius* in E.N.C. A. 6. Quæ loci requiſita pro bono decubitu qui ulterius proſequi vellet, haberet cubile ut luce aut tenebris, ſono aut ſilentio ad conditionem ægri accommodandum, corrigendum in eo aërem & imbuendum vaporibus, fumisque ſalubribus, attemperandum in frigore aut calore, & quidquid ſupra in cauſis nocuum docui, mutandum pro poſſe in melius; Medici hoc omnis, quidnî cubicularii, intereſt. Idem dictum puta de lecto, ubi ſpeciales ſi placet attende cautelas: Ut caveas infici, fugias infectos ſocios, nec talem aut qualitercunque adverſam eligas thori ſociam; Ut in continuis tempus ſternendi lectum determines non ad horas exacerbationum, ſed remiſſionum, &c. Illa vero hîc tranſeant, quæ vario ſcopo lectis involvi aut ſupponi pulvinaribus ſolent, quia traditionis quidem vulgaris,

 fidei

fidei autē ſubleſtæ & nimis incertæ ſunt: Ut cùm piloſus ille cynosbati contextus, aut excreſcentia ſpongiæ ſimilis, pro fundando inſectis nido producta, pomum ſomniferum vulgo dicitur, nec ſuſcitari poſſe creditur, qui illi incubat; Cùm ennectis ſomniantibus ſuppoſita oracula reddit, lingua ranæ facit loqui in ſomnis, cor bubonis pronunciare ſecreta, & quæ ſunt ſimiles dignæ *Plinio* & *Agrippâ* traditiones. Tranſeant item antimagica, quibus luſtrari poſſit lectus, pro tuto decubitu, ad avertendum aut tollendum omne faſcinum, quia multa ſubintrant ſuperſtitioſa, alia ad cauſas claras ægerrimè revocanda; Certiorem vim corpori admovet locus, quandò talibus immergitur aut quaſi ſepelitur æger, quæ fida jam probavit experientia, uti paretici ex. gr. conduntur in vinaceis, aliiſve maſſis conſimilibus, maximè his, quæ calent vi arborum reſinoſarum, frigidæ & languidæ fixitati accommodâ, quò refer decubitum in arenâ, *G. Franco* & *Reiſelio* in E.N.C. expoſitum; Et ſi quibus porrò modis lectus reddi poteſt medicamentoſus, aut imbui vi medicâ, aut procurari incubitus variis externis medicamentis, detinendis ita in longo contactu cum parte ægrâ; quibus ſubjungi poſſet accommodanda ægro corpori conditio plumarum, pellium, &c. & vel obiter tangi ſuccedanea lecti, ſellæ, quæ languentibus nec jacere valentibus commoditate poſſibili ſuccurrunt, aut adjumenta, quæ arripi poſſint, pro erigendo, vertendo corpore; aut cunæ infantum ſpecialiter in omnibus ſuis occurrentiis ordinandæ, &c.

Tandem ut pateat, qui modi conveniant variis ægris, eundum rurſus per partes. Ubi iterum ſunt circa caput, quæ tranſeant: uti quando pulvinar capiti morientium ſubtrahitur, quod neſcio quid ſuſpecti habet; an inſtitutum, ut præcipiti hinc retrorſum caſu mors acceleretur? Potior ſit cura ritè locandi capitis, & quod manifeſtum beneficium redundat in vertiginoſos à decubitu tempeſtivo, in laborantes incubo à decubitu mutato, &c. id ſimiliter transferendum ad reliquos affectus, diligenter explorando, quem quisque ſitum ferat commodius: Unde circa humilem & altum vix univerſale quid determinari poterit, ſed hîc, ut communiter in hoc themate, haberi debet reſpectus perſonarum, pro ſenſu tolerantiæ, quem ſollicitâ obſervatione inveniunt, interim applicari poterit illud tritum: Medium tenuêre beati. Uti ſupinus ex cauſis ſupra dictis, ita pronus, quà largiorem ad afflictos oculos invitans affluxum, in ſpecie

ſpecie ſuſpectus redditur. Latus conveniens pro vitandis moleſtiis ſuggeret pariter experientia; quodſi inſtillandum quid fuerit huic illive parti, decubitum requiri in adverſam, clarum eſt; viciſſim quæ ex aure, naribus fluere, quævè ab operationibus chirurgicis emitti debent, promovenda ſunt ſitu declivi conveniente, ne detineantur, nevè aliò declinent. Epileptici nè caput reliquumque corpus lædant, apoplecticorum ſtertor nè perverſo decubitu citius in ſuffocationem terminetur, qui jacere nequeunt, ut vario ſubſidio caput fulciant, taliumque cautelarum plures, quàm ut omnes hîc condignè tractari poſſint, curam poſcunt Medicam. Nec repetam prolixè, quæ ad pectus ſpectant; Quia notorium eſt refugium eo laborantium ad ſitum altum & erectum, quo etiam communiter modo ſuccurrimus dyspnoicis, juvando eos, qui ſe erigere ipſi nequeunt. Quando autem ſupinus malè paſſim a.dit & interdicitur, ob metum delapsûs humorum, in tantum id valebit, in quantum hæc cauſa conceditur: Sanguis utique è nare fluens ſupino ſitu fauces obruit, erigi ægrum poſcit, ut poſſit rejici; item quod è pituitoſâ tunicâ undique ſtillat mucoſum per noctem eò quoque confluit, monetque adeò, tàm ut ſtudeamus præcavere ſitu meliore, quàm manè erecti reſpuere. Ad quam quidem expectorationem promovendam non modo figura jacendi in genere ſed & ſpeciale latus occommodari debet, cujus rei neglectum *Pechlinus* Imperatori cuidam penè fatalem fuiſſe docet, cùm in unum latus cubandi conſuetudine teneretur, hoc ipſo autem plurima ſanies abdita hecticam tuſſiculoſam inferret, neque ullis remediis ob jacendi formam juvari poſſet; Sagacis autem Medici conſilio tandem deprehenſum fuit, non niſi mutatâ figurâ, rejectoque in alterum latus corpore, phlegmata tuſſi educi, morbumque perſanari potuiſſe. Idem Autor in hiſtoriâ vulneris thoracici paſſim quoque demonſtravit, quantum momenti ſitum ſit in commodâ corporis poſiturâ, inflexione, pro obtinendo effluxu ſanguinis & puris, unde lateri vulnerato ægros chirurgi imponunt, corpusque adaptant, tum & in paracentheſi thoracis, ad facilitandum exitum contentis. Circa rejectionem per os notabile illud *Plateri*: Supra latus affectum in pulmonum venis reſeratis incumbere non tutum. Illud triſte foret fatum, ſi uno latere decumbere non valenti, ab adminiſtratione remediorum etiam libertas alterius lateris adimeretur, quod in E. N. C. A. 9. in pleuriti-

de lateris ſiniſtri, ſectâ venâ ejusdem lateris contigiſſe legitur, ut ſcilicet qui prius in latus affectum, dein in nullum amplius potuerit decumbere. Thorax externè in gibbum diſtortus & protuberans ubi jam firmatus, præter decubitum conditione lecti utcunque reddendum tolerabilem, parum opis admittit, ubi verò recens adhuc fuerit ſivè in fieri apud infantes, in ſitu & decubitu non parum habet præſidii: Appendici paradoxorum diſcurſuum pro talibus ſingularem lecti apparatum deſcripſit, & longiorem ibi moram in convenienti decubitu imprimis commendavit, *Helmontius* filius.

Ex infimo ventre, cùm nimis multa ibi occurrant, ſeligam duo, quæ ſtomachum cum inteſtinis & uterum concernunt. Id quæri poſſet, cùm olim convivæ ſoliti fuerint diſcumbere, nos autem menſæ modò aſſideamus, quis horum ſituum ſalubrior? Ab aſſumto cibo pronus quidem decubitus ſuadetur illis, qui ægrè ipſum in ſtomacho conficiunt, aliàs autem quodnam latus magis tunc conveniat pro decubitu, ferè controvertitur, ut ex variis à *Dorncreilio* collectis regulis patet; Plures in hoc conveniunt, decumbendum ſanis primò in latus dextrum, poſteà in ſiniſtrum, hinc ſibi promittunt promptiorem deſcenſum cibi ad ventriculi fundum, & adjumentum coctionis ab incumbente hepate, quas quidem rationes alii invertunt, & in ſpecie *Valeriola* meliorem coctionem à decubitu in ſiniſtrum, diſtributionem autem ab eo ſuper dextrum latus promittit. *Wedelius* in diætâ literatorum accedit prioribus, eosque rationibus fulcit. Ad quæſtionem quando & quamdiu cubandum ſpectat illud *Celſi*: Imbecillis ſtomacho (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque penè cupidi literarum ſunt) qui parum concóxit, quieſcere debet, & ſi manè ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire; qui non concoxit ex toto conquieſcere. De *Carteſio* in ejus vitâ hanc longam matutinam in lecto quietem, meditationibus apprimè commodam, me legiſſe memini; an *Celſi* præceptum obſervavit cacoſtomachos? *Hippocrates*, quoties cunque majorem ciendi vacuandique vim à veratro requiris, corpus movere jubet; ſin inhibendum ſit & ſiſtendum, ſomnum inito, neque moveto, hoc eſt, ſede vel ſta, vel etiam decumbe. Hunc quietum decubitum majori ſymptomatum urgentium parti accommodandum cenſeo: Cautelam pro vomitu cruento, ne decubitu dextro revocetur, ſupra tetigi; Vomentes ipſe impetus corpus ſuum pro facilitando actu diſponere monebit. Infantes vero ſi vomant ſemper in alterutrum latus ponantur, alioquin non tantum ſe ipſos

con-

conſpurcant, ſed ferè ſuffocantur. De commodo etiam decubitu pro injectione enematis ſolliciti fuerunt *Pareus* & *Fernelius*, dextrum quippe commendant, ubi melius ſubeat, præ ſiniſtro, ubi minus, hinc ſupinum, mox converſionem in latus utrumque; vel ſi dolor parte aliquâ ſubſit, in iſtam quàm diutiſſimè fieri poterit, inclinet æger. Cùm indeclinabilis ſit neceſſitas emittendarum fœcum & urinæ, ubi æger præ debilitate nequit erigi, vel ipſo decubitu medico lecto affixus jacet, ſuccurrent adſtantes, quibus cura iſtorum incumbit. Inteſtina per laxum aut ruptum peritoneum eruptionem affectantia in decubitu ſingulare auxilium habent, ad præcavendum, reponendum, detinendum, ſi longus, ſupinus, declivis inſtituatur; Iliacus in apiario *Harderi* pedibus ſuſpenſus regreſſum quidem inteſtini obtinuit, ſed non plenarium, & ob factam modò gangrænam fruſtraneum. Quæ tandem uterum concernunt, conſtringam in conciſas regulas: Gravidæ cùm lateri incumbere volunt, ventris tumorem majorem & moleſtiorem pulvillis fulciant; Quæ urinam reddere nequeunt, ſupino decubitu emiſſionem tentent; tumoribus pedum obnoxiæ labori non nimium dent, quietiores degant & cubent. Parturientes quæ quieſcere nolunt aut non poſſunt, ita per conclave ambulent, ut nè ſitum fortè bonum fœtûs, moram nectentis, pervertant; quæ pariunt difficulter ob fœtum præpoſterè & fruſtrà exire nitentem, ut repelli & inverti poſſit, locentur ſupinæ, declives ſuperioribus; ſunt qui hoc ſcopo fœminas planè invertunt & concutiunt: In ſitu autem decenti plurimum eſſe ſitum communiter teſtantur obſtetrices, embryulci, aliique qui decubitum parturientibus longè naturaliorem ſitum dicunt, quam alium quemcunque. Poſt partum religioſæ ſunt in hoc mulierculæ, ut lateri dextro incumbant, pro quietando, ut ajunt, utero; Plures autem prolapſum uteri præcaverent, ſi quietius & diutius à partu decumberent,

Cætera, quæ de artubus fractis, paralyticis, ſtupore, dolore vehementi & ſpaſmo flatulento laborantibus, manibus ſupra caput complicatis & pedibus œdematoſis atque varicoſis, de indicantibus viribus, orthopnoeâ, conſuetudine, intertrigine, &c. dici poſſent, pagellarum excludit anguſtia:

DEUS, qui Studiis meis hucusque benedixit, iiſdem porrò benedicat; Ipſi ſit Honor & Gloria in Secula.

FINIS.

CARMINA VOTIVA.

PRima quidem Medici cura eſt releventur ut ægri,
Altera Decubitûs ſuccedit jure decentis;

Quo

Quo melius ſaltem tolerantur ſæpè dolores.
Dum doctis theſibus ſpartam hanc ſic excolis, amplam
Nobis ſpem præbes, languentum de grege plures
Te medicante, ritè poſtquàm decumbere norunt,
Et ſurrecturos lecto, cui fixerat atrox
Morbus eos. Felix, precor, hoc fauſtumque ſit omen!
Perge, ut cœpiſti, noſtræ veſtigia, Frater,
Viſa domûs premere, & labor hic Tibi proderit olim.

Pauculis hiſce Fratri ſuo Dilectiſſimo, ex animo gratulatur Amſteladamo

JOH. CONRADUS AMMANN, Med. D.

GESNERUS quondam Medicus celebratus in orbe
Dicitur huic ſtudio ſero fuiſſe datus.
Sique diu cubuit, conjux, heus! ſurgito dixit,
Si vis præclari nomen habere viri.
Omnes hoc reputent ſibi dictum, quotquot in arte
Excellens medicâ nomen habere volunt.
Hoc etenim ſtudio vix eſt prolixius ullum,
Cui multum à teneris invigilâſſe juvat.
Tute igitur Medico prognatus ſanguine, dudum
Cultor eras artis, quod probat hocce tuum
Doctrinæ ſpecimen, quo vis oſtendere, quantum
Corporis in poſitu, decubituque ſitum.
Rem benè tractaſti, te non dormire videmus,
Teque Tuis ſtudiis incubuiſſe doces.
Perge ut cœpiſti, ſemper plus nititor ultra,
Ut poſſis multos arte juvare tuâ.
Non Te doctrinæ cupidum, mihi crede, pigebit,
Huic ſtudio gnavas applicuiſſe manus.
Laurea namque Tibi decreta eſt, accipe nomen
Doctoris, quod nunc Phœbus in orbe dabit.
Sisque Patri, Patriæque decus, ſolamen & ægris,
Sic Tua poſt mortem Fama perennis erit.

Honoris, fraternaque charitatis monumentum hocce ponit

JOHANNES AMMANN, V.D.M.